De C. Salusti Crispi moribus et scriptis.

Cap. I. De moribus C. Salusti Crispi.

Vitam C. Salusti abhinc quinque annos enarravimus[1]), restat igitur, ut de eius moribus pauca dicamus. Licet enim bene monuerit Munk[2]), vix operae pretium esse inquirere in Salusti mores, cum plerisque eius temporis Romanis civibus neque melior neque prior fuisse sibi videatur Salustius, tamen cum adhuc sub iudice lis sit, et variae eaeque non firmissimis argumentis nisae sententiae proferantur, mihi non praetermittenda, immo quo melius cederet in hunc locum differenda videbatur esse quaestio de Salusti moribus.

Atque, ut ab iis rebus principium sumamus, quae firmissimis argumentis nituntur, primum de Salusti adulterio cum Fausta inquiramus, deinde ad alia quae Salustio passim vitio tribuuntur veniamus. Et adulterii quidem testis antiquissimus idemque gravissimus est M. Terentius Varro Reatinus (116—27 ante Christ.), de quo haec dicit Gellius[3]): „M. Varro, in literis atque vita fide homo multa et grauis, in libro, quem scripsit Pius aut de pace, C. Salustium, scriptorem seriae illius et seuerae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri uidemus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit et, cum dedisset pecuniam, dimissum."

Atque nequis Gellio fidem non esse habendam putet, primum monendum esse videtur, id quod Loebell[4]) contra Müller[5]) contendit, Gellium, cum tam accurate et diligenter hominem et librum designaret, non ex memoria haec protulisse, sed ex ipso libro descripsisse, id quod ipso verbo „dicit" confirmatur. Tum concedendum quidem quod statuit Kritz[6]), Gellium hoc referre ut rem miram, insolitam, valde memorabilem, sed non cum ignoraret aut improbaret,

---

[1]) De vita C. Salusti Crispi commentatio. Programm des f. e. Privat-Gymn. Borromaeum zu Salzburg. 1879.

[2]) L. R. H. II² 385.

[3]) Noctes Atticae 17. 18 (Hertz).

[4]) Zur Beurtheilung des C. Sallustius Crispus. Breslau 1818. S. 25 ff.

[5]) C. Sallustius Crispus oder historisch-kritische Untersuchung der Nachrichten von seinem Leben. Züllichau und Leipzig. 1817.

[6]) Prolegom. p. 10.

quae homines divulgaverant, immo vero cum optime nosset Salustium „scriptorem seriae illius et severae orationis, in cuius historia notines censorias fieri atque exerceri“ vidit. Non enim Varronis[1]) esse ea verba sed Gelli ex ipso verbo „videmus“ nemo non conficit. Illud igitur mirum Gellio videbatur esse vitam et scripta adeo posse dissentire, atque vitae fidem ne scripta vincerent Varronis auctoritate confirmavit. Neque quod ipse alio loco de Salusti moribus dissolutis ac perditis non disseruit, cum eius rei causa non esset, inde coniciendum est, quod conficit Kritz, Gellium haec crimina vel ignorasse vel improbasse; immo si habuisset, quod contra diceret, non tacuisset, ut contra scriptorum abtrectatores dixit[2]): „in quibus (Salusti scriptis) plura inscite aut maligne vellicant.“ Denique in homine ita errasse Gellium, ut Lenaeum pro Varrone haberet, aut ex Lenaeo, cuius scripta medica proxime superioribus capitibus commemoravisset, fucatum hoc testimonium protulisse, qui quam diligenter referat Gellius reputaverit, facile improbabit. Potuit quidem fieri, ut acerbissima illa Lenaei satira[3]) malae Salusti famae admoneretur et, cum sibi non omni suspitione maior videretur esse Lenaei auctoritas, rem Varronis testimonio probaret atque confirmaret, sed his et talibus argumentis Gelli fides non minuitur sed augetur.

Varronis autem fidem in litteris nemo in dubium vocaverit; at hac in re, cum Pompeianus esset[4]), sibi temperare non potuisse putat Kritz (prol. p. 10), quominus adversarum partium homini sibi inviso maculam aliquam ex vago urbanorum rumore inureret. Quid? si fuerat M. Ter. Varro unus ex viginti viris agro Campano dividundo a Caesare constitutus[5]), si Pompeius tum cum prolatum est testimonium nondum aperte a Caesare descivit, si Salustius Pompeium non impugnavit, immo eius legem de vi contra Milonem suasit, num Pompei studio Varronem adductum esse putaveris, ut Salustio maculam inureret? At fuit Varro Appi Claudi Pulchri familiarissimus[6]), Ciceroni et studiis eisdem et vetustate amicitiae coniunctus[7]), inimicus Clodi, contra quem multa per Varronem agi posse videbantur Ciceroni[8]). Appi igitur et Ciceronis studio, odio Clodi maculam inussit Salustio. At illis annis (54 usque 51) longe ab urbe fuit Appius in Cilicia, Ciceronis autem studium, Clodi odium quantum fuerit in Varrone ex eo cognoscitur, quod „mirabiliter moratus contra Clodium satisfecerat“ Ciceroni.[9]) Accedit quod eo tempore quo scriptus esse videtur ille Varronis liber, Salustius in gratiam redisse putabatur cum Cicerone et Milone. Ut enim Catum, de liberis educandis, Messalam, de valetudine,

---

[1]) Id quod tenet Munk. R. L. H. II² 1877, p. 384.

[2]) Noct. Att. 4, 15.

[3]) Suet. gramm. 15.

[4]) Caes. b. c. 2, 17—20.

[5]) Plin. n. hist. 7. 52 (53) 176.

[6]) Cic. fam. 3, 7, 4.

[7]) Cic. Acad. post. 1. 1. 1.

[8]) Att. 2, 22, 4 et 2, 25, 1.

[9]) Att. 2, 25, 1. 3, 8, 3.

alios[1]), ita Pium, de pace, iis adnumerandum esse libris puto, qui logistorici vulgo dicuntur. Atque scripti esse videntur iis fere annis, quibus committi potuit illud adulterium (700/54—702/52). Hunc autem librum, quem „Pius de pace" inscripsit, sub finem anni 702/52 scripsisse Varronem ex eo coniecerim, quod post medium fere annum 703/51, quo cum Cicerone in provinciam profectus est[2]), unde rediens postero anno ante bellum in Hispaniam[3]), bello Pharsalico cum M. Catone in Graeciam[4]) se contulit, non ei fuisse scribendi otium putaverim et in hoc ipso libro, cum de pace eiusque conditionibus ageret, memorabilis illius pacis, quae inter Milonem et Salustium intercessit, mentionem eum fecisse existimaverim. Atque inter causas eius pacis eum commemorasse puto adulterium cum Fausta commissum. Quod cur fingeret, aut ex vulgi rumore[5]) assumeret, non fuit, praesertim cum veram eius rei causam si non ex ipso Milone at ex Cicerone tamen familiarissimo rescire posset. Ciceronem enim non rescivisse cur etiam secum in gratiam redierit Salustius aegre mihi probaverit Kritz.

Cum igitur esset Varro in litteris atque vita fide homo multa et gravis, cum de Salusti adulterio et scire posset neque haberet cur aut mentiretur aut rumori crederet, quid est, cur eius fidem in dubium vocemus, praesertim cum eiusdem rei alii quoque testes adsint. Haec enim adnotavit Helenius Acro[6]) ad Hor. S. 1, 2, 41 sq.: „ille flagellis ad mortem caesus. Hoc de Crispo Salustio dicitur, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio Faustae, Sullae filiae, uxoris eius, flagellis caesus esse dicitur, ut refert Asconius in eius vita." Ergo sive Acronis sive Porphyrionis sunt ea verba ad Asconium Pedianum adulteri testem referantur necesse est. Asconi autem testimonium qui quanta is fuerit diligentia in exprimendis et proferendis testimoniis ex eius enarrationibus orationum Ciceronis cognoverit haud facile improbabit. Neque enim quod ex Varrone haurire potuit testimonium, neque quod non caesum esse sed caesum esse dici Salustium refert Acro, Asconi testimonium infirmari potest, praesertim cum eadem fere de Salusti adulterio referat Servius, qui haec adnotavit ad Verg. Aen. 6, 612: „quique ob adulterium caesi. Si occisi, Aegysthum significat, Thyestae filium, si re vera caesi, Salustium significat, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suae uxoris Faustae, filiae Syllae." Duobus igitur vel tribus testibus Salusti adulterium confirmatur.

Sed alterum quaeritur ex isdem Acronis verbis, num Horatius iis verbis „flagellis caesus" Salustium notaverit? Quod bene quidem negat Kritz

---

1) Teuffel. Rom. Lit. Hist. Ed. II. (1872) 164, 2 pag. 271 = Ed. IIII (1882) 166, 2. pag. 275.

2) Cic. fam. 3, 7, 4.

3) Cic. fam. 9, 13, 1. Lange Ant. R. III. 408.

4) Cic. de divin. 1, 31, 68.

5) Dietsch³. praef. p. 8, Kritz. proleg. p. 10.

6) vel Porphyrio Teuff. R. L. H.² 203, 1 = id.⁴ 205, 1. Conf. Gerl.² p. XV. Teuff. Sall. p. 2, 3 ultima Acronis verba ita profert: „quem Asconius Pedianus in vita eius significat."

(prol. p. 11), sed argumentis utitur minus firmis. Nam cum non inter duos sed plures distingueret Horatius, ut varia moechorum pericula describeret, et ad alios[1]) et ad Salustium bene potuit respicere, sed neque hunc, neque illos aperte notavit. Quod autem Horatium ne cogitasse quidem de Salustio Kritz ex eo patere putat, quod idem argumentum uberius perseqens versu demum 64 sq. de Faustae adultero Villio haec profert: „Villius in Fausta Sullae gener", Horatiano dicendi generi non satis accuratam rationem habuisse mihi videtur. Ea est enim Horati Sermonum componendorum ratio, ut altera ex altera sententia quasi gigni et procreari videatur. Cum igitur in scribendis versibus 41—46 inter moechos Salustium quoque spectasset, incidit in nostri Salusti ex sorore nepotem, qui tum, ut omnes fere iuvenes Romani, in libertinis insaniebat. In quo loco erravit Acro, cum nostrum Salustium significans adnotavit: „Fertur Salustius Crispus tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto moechus in matronas. Quod cum illi in senatu a censoribus obiectum esset, respondit, se non matronarum sed libertinarum sectatorem esse, quare ex senatu eiectus est, quod ipse excusat in Catilinae libello." Immo haec bene ad versus proximos (55 sq.) adnotari potuisse existimaverim. Memoratis enim illis Salusti nepotis verbis „Matronam nullam ego tango" Horatio in mentem venisse puto illa nostri Salusti verba, quae in senatu dixisse ferebatur, „Nil fuerit mi (inquit) cum uxoribus umquam alienis." Quae cum non ita vera fuisse putarentur, facile neque nepotis Salusti verba ad unguem accipienda esse inde colligi potuit. Atque ut a nepote distingueret nostrum forma nominis graeca Marsaeum illum Salustium dixit a patria, cum in finibus Marsorum situm esset Amiternum, simul significans Marsum illum Octavium, sceleratum latronem atque egentem, quem P. Dolabella legatum praemisit in Syriam (711/43), qui popularetur agros, vexaret urbes non ad spem constituendae rei familiaris, quam tenere eum posse negarunt qui noverant (Ciceroni enim hic senator ignotus erat), sed ad praesentem pastum mendicitatis suae (Cic. Philipp. 11, 2, 4). Origo autem illa meretrix fuit nobilissima, quae ut Cytheris[2]) Antonium et Cornelium ita Marsum illum Octavium incantaverat. Quod autem Marsaeum „patrium mimae fundumque laremque donasse" dicit, Horatius idem significare mihi videtur, quod auctor Invectivae 5, 14: domum paternam vivo patre (turpissime HH[2]) venalem habuit (vendidit). Quae denique de bona fama tuenda addit Horatius (vv. 58—63) bene referuntur ad ea, quibus Salustius de mala fama conqueritur (Cat. 3, 5), bonam famam laudibus extollit (Cat. 2, 9). Atque a nostro Salustio, qui cum Fausta peccasse dicebatur, facilis erat transitus ad Villium, qui nomine Sullae deceptus propter frequens adulterium eiusdem Faustae coniux, Sullae gener dici potuit (vv. 54 sq.). Ita quidem Horati

---

[1]) Valerius Max. 6, 1, 13: Sempronius Musca (cf. Cic. de or. 2, 60, 247) C. Gallium deprechensum in adulterio flagellis cecidit, C. Memmius (Paris? Cic. ad Att. 1, 18, 3) L Octavium similiter deprehensum nervis contudit.

[2]) Lycoris Vergili cf. Serv. ad Eclog. 10, 2 sq.

sententias inter se nexas esse existimaverim, sed inde, cum indicia potius quam argumenta sint, neque de adulterio neque de ceteris malis moribus Salusti, nisi aliunde exploratum esset, certi quidquam confecerim.

Venio nunc ad Pompeium Lenaeum, qui „Magni Pompei libertus et paene omnium expeditionum comes defuncto eo eiusque filiis[1]) schola se sustentavit . . . . . ac tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Salustium historicum, quod eum oris probi animo inverecundo scripsisset, acerbissima satura laceravit lastaurum et lurchonem et nebulonem popinonemqe appellans et vita et scriptis monstruosum, praeterea priscorum Catonis verborum ineruditissimum furem" (Suet. gr. 15). Salustius igitur, sive oris improbi (Kritz. ad hist. inc. 41) sive probi (Dietsch. ad hist. inc. 75) scripserat, summam Pompei simulantiam atque falsitatem significaverat, qua per totam vitam ita erat usus Pompeius, ut aliud ore prae se ferret, aliud mente reconditum agitaret. Idem fere et Caelius et Cicero de Pompeio scripserant: ille ad Ciceronem (fam. 8, 1, 7): „Solet Pompeius aliud sentire et loqui, neque tantum valere ingenio, ut non appareat, quid cupiat", hic ad Atticum (4, 15, 7): „Pompeius fremit, queritur, Scauro studet, sed utrum fronte an mente dubitatur." Quod cum in Caelio et Cicerone aequo animo ferret Lenaeus, in Salustio, qui neque animo verecundior neque probior esset Pompeio, idem ferre non potuit. Ut igitur calumniam in adversarium transferret, gravissima satira eum laceravit, atque ut animum eius inverecundum prostitueret, eum lastaurum, lurconem, nebulonem, popinonemque vita denique monstruosum dixit, ut eius os improbum fuisse probaret, etiam scriptis eum monstruosum dixit. Cum enim ita seria et severa essent, ut notiones censoriae in iis exerceri viderentur, post vitam tantis vitiis monstruosam nonne ipsa monstruosa dici potuerunt? Ut autem de dicendi genere adderet, id quod vulgo vitio tribuebatur Salustio (cf. Teuff.² 204, 5) eum praeterea priscorum Catonis (Kritz. prol. p. 6) verborum ineruditissimum furem appellavit. Verba quidem irae tribuenda esse concedo, sed rem reiciendam esse nego. Immo in explicando et ponderando hoc testimonio vehementer errare mihi videtur Kritz (prol. p. 6 sq.). Quod enim inde colligit Lenaeum ipsum nebulonem maximum et maledicentissimum calumniatorem fuisse, non ita de Lenaeo iudicarunt antiqui[2]). Quare non nihil agere mihi videor, cum in eorum castra me confero, qui, quamvis concedant modum fortasse in vituperando Lenaeum transisse, tamen veri aliquid subesse eius criminibus affirmant. Nam ut auctor invectivae in Salustium ita Lenaeus in scribenda satira aliquam probalititatem secutus esse mihi videtur. Quid autem uterque proferat veri, quid falsi, quid dubii non est facile ad investigadum neque pro certo disquirere poteris, nisi singula horum crimina cum singulis aliorum testimoniis et Salusti ipsius vitae rationibus contuleris.

---

[1]) Sext. Pompeius mortuus est a. 719/35.

[2]) Cf. Teuff. R. L. H.² 51, 1. Plin. n. h. 25, 2 (3) 5—7, Gell. n. a. 17, 16, 2 sq. Löbell. p. 14.

Sed antequam ad ipsam disquisitionem accedamus id, quod supra [1]) nos hoc loco praestaturos esse promisimus, faciendum esse videtur, ut pauca de auctore invectivae eiusque fide dicamus. Atque hanc invectivam in Salustium artissime coniunctam esse cum illa altera in Ciceronem manifestum est. Illam commemorat Quintilianus [2]) eamque pro genuina Salusti habet, neque quae insunt in ea convitia refellit. Ex eadem locum adfert Servius [3]). Ex hac in Salustium invectiva unus locum profert Diomedes (GL 1, 387): Didius ait de Sallustio „comesto patrimonio." [4]) Inde Woelfflin [5]) coniecit Didium quendam huius inoectivae auctorem fuisse, Gerlach (praef. p. XXVIII) editiones veteres secutus Didymum [6]), Linker [7]) Epidium fuisse putat, qui calumnia notatus ludum dicendi aperuit docuitque inter ceteros M. Antonium et Augustum [8]). Sed cum illam alteram in Ciceronem Salusti nomine inscriptam fuisse ex Quintiliani locis lectis manifestum sit, neque hanc in Salustium Didii alicuius Epidiive abscuro nomine sed ipsius Tulli inscriptam fuisse iure existimavit Iordan (praef. p. XII). Idem ab eodem rhetore utramque invectivam compositam esse evinci putat sententiarum ineptiis in utraque consimilibus, eadem in detorquendis Tullianis verbis perversitate, aequabili sermonis impuri habitu aliisque rebus, quae rhetorem e provincia Romam advectum urbanique sermonis ignarum designent.

Quisquis igitur harum invectivarum fuit auctor, fuerit sane ignarus sermonis urbani, at rerum Tullianarum atque Salustianarum non fuit ignarus in iisque tractandis multa quidem maligne detorsit, multa pervertit, sed a probabili coniectura non recessit, modum quidem transiit vituperando, sed non aperte mentitus est calumniando. Iure enim alterum alteri ignobilitatem generis obicientem facit (in Tull. 1, 1. 3, 4; in Sal. 2, 4. 5.). Bene Salustius Ciceroni nimiam sui existimationem, ambitionem et simultatem in petendis, severitatem in gerendis magistratibus maxime in reprimenda Catilinae coniura-

---

[1]) De vita C. Salusti Crispi Cap. X. p. 39.

[2]) Institut. orat. 4, 1, 68; 9, 3, 89; 11, 1, 24; quos locos a priorum editorum suspitionibus egregie vindicavit Halm (Iord. praef. p. XII.).

[3]) Ad Verg. Aen. 6, 623: „Hic thalamum invasit natae: „quod Donatus dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio, quod convitium a Salustio Ciceronis inimico natum est, qui de illo inquit: filia matris pelex (= inv. in Cic. 2, 2 Iord.).

[4]) Invect. 7, 20, cf. Iord. ad l. l.

[5]) Philol. XVII. p. 347.

[6]) Sine dubio Chalcenterum, de quo Ammian. XXII, 16: Chalcenterus Didymus, multiplicis scientiae copia memorabilis, qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sitlographos imitatus, scriptores maledicos, iudicio doctarum aurium incusatur (Nocolai Griech. Literaturgesch. II² p. 334).

[7]) Sal. hist. proem. p. 90.

[8]) Sueton. de claris rhetoribus IV: „Quibus (Antonio et Augusto) C. Canutius, obicientibus sibi, quod in re publica administranda potissimum consularis Isaurici sectam sequeretur, malle, respondit, Isaurici esse discipulum, quam Epidii calumniatoris. Hic Epidius ortum se ab Epidio Nuncione praedicabat, quem ferunt olim praecipitatum in fontem fluminis Sarni paulo post cum cornibus exstitisse ac statim non comparuisse in numeroque deorum habitum."

tione, summam denique in partium studio mutabilitatem et inconstantiam vitio tribuit (in Tull. 2, 3—4, 7.). Quare sint sane calummiatoris, quae alter alterum in pueritia peccasse incusat; non confirmaverim Ciceronem eloquentiam apud M. Pisonem [1]) pudicitiae iactura perdidicisse, eam flagitiose venditasse (Caelio ?); non contenderim Salustium nihil aliud studuisse nisi uti lutulentum suem cum quovis volutari; at illud tamen, quod est in invectiva in Salustium (5, 14), Salustium domum paternam vivo patre venalem habuisse, cum ex Horatio (Serm. 1, 2, 55) et ex eadem invectiva (7, 19) conici possit, facto alicui niti mihi videtur. Licet enim, cum ius emendi et vendendi proprium esset patris familias [2]), patre aut inscio aut invito neque vendere quidquam potuerit neque venale habere, tamen Salustium adulescentem (lauto victu et cultu an luxuria et libidinibus an utrisque non est compertum) tantum aes alienum contraxisse probabile est, quanto ut filium liberaret, eique ex pernobilium et divitum adulescentium consuetudine honores petendi et adipiscendi faceret facultatem (Dietsch. praef.[3] p. 7), domum pater aut coactus venderet, aut venalem haberet. Inde facile oriri potuit suspitio, mori coegisse patrem, quo nondum mortuo pro haerede gesserit omnia (in Sal. 5, 14).

Atque hanc ipsam adulescentis Salusti vitam notare mihi videtur Lenaeus, cum eum lastaurum, lurconem, nelulonem popinonemque dicit, quare et luxuria et lauto victu rem familiarem perdidisse Salustium existimaverim. Lastauri enim nomine sine dubio libidinem eanque non humanam designat (vide Pape s. v. *λάσ-ταυρος*), lurconem autem et nebulonem popinonemque propter gulam non profundam modo sed intempestivam quoque ac sordidam dicit. Sed ne nimium tribuamus his criminibus faciunt ea, quae Suetonius (Caes. 49—52) de C. Caesaris moribus exposuit. Cum enim C. Caesarem, quem summis laudibus extollit Salustius, Curio pater oratione quadam, „omnium mulierum virum, omnium virorum mulierem“ appellaverit, num quae Salustio exprobrantur aut reiciemus, aut summo vitio tribuemus? Praesertim cum ipse Salustius, ubi eius animus ex multis miseriis et periculis requievit, de malis eorum temporum moribus conqueratur et inter tanta vitia imbecillam aetatem ambitione corruptam esse profiteatur (Cat. 3, 4).

At lapsus aetatis tirocinio postea se non correxit, sed abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani, bis iudicis ad subsellia attractus extrema fortuna stetit et ita discessit, ut non hic innocens esse, sed iudices peierasse existimarentur (in Sal. 5, 14). Huius criminis quae ad litterarum studium Salusti pertinere videbantur supra[3]) exposuimus, quae ad philosophica praecepta spectant infra tractabimus, hoc loco in ea, quae ad mores pertinent, inquiramus.

Atque ad Publium Nigidi(an)um Figulum referendum esse sacrilegium Nigidianum omnibus fere exploratum est. Haec autem de eo adnotavit Hieronymus ad Eus. Chron. ann. Abr. 1972 (=709/45): Nigidius Figulus Py-

---

[1]) Qui aequalis fuit Qu. Hortensi octo annos maioris natu Cicerone. Cf. Brut. 64, 230.
[2]) Lang. A. R. I. p. 132 sq.
[3]) De vita C. Sal. Cap. V. p. 20.

thagoricus et magus in exilio moritur. Ex Hieronymi et Ciceronis (Timae. 1) testimonio et ex librorum, quos conscripsit, inscriptionibus et fragmentis, quorum satis magna pars servata est in scholiis in Caesaris Germanici Aratea [1]), Teuffel [2]) conficit, Orphicae, mysticae, magicae religioni deditum fuisse Nigidium ut omnes fere eius temporis Pythagoreos et arcana facere et furtim ablata revocare et ex nativitate futura praedicere consuesse [3]).

In has igitur res magicas et mysticas sodalicium quoddam institutum esse putaverim, in quod, cum omnibus fere sodaliciis adversarentur magistratus, abiisse Salustio facile potuit exprobrari; praesertim cum eo ipso anno 696/58, quo a Clodio restituta sunt sodalicia perniciosa, Salustius in id sodalicium abiisse videatur. Num quid turpe in eo admissum, non est exploratum, nisi quod iis quae Nigidius de dis, de rebus a natura involutis, de augurio privato tradiderat, cum Stoicorum praeceptis adversarentur, religio violari, res publica periclitari videbatur, quod imperatorum quidem temporibus sacrilegi nomine notatum, et gravi poena adfectum est [4]). *Νεκυομαντείαις* Nigidianis et *ψυχομαντείαις* adfuerunt Appius Claudius, M. Varro, P. Vatinius [5]) atque in interrogatione perpetua, qua Cicero P. Vatini vitam et tribunatum reprehendit (anno 698/56) permulta insunt, quae ad sacrilegium Nigidianum referenda esse putaverim [6]). Quin etiam universa interrogatio in Vatinium ita similis est invectivae in Salustium, ut si non eam imitatus esse at multa tamen ex ea decerpsisse videatur auctor, ita illustrat Nigidianorum mores et studia eorumque sacrilegium, ut eadem fere interrogatione compellari potuerit Salustius. Ex illo conficitur morum quadam similitudine se coniunxisse Salustium cum Vatinio et Nigidianis, ex hoc eum postulari potuisse sacrilegi Nigidiani. Num vero postulatus sit huius sacrilegi aut sodalici, cum neque Appium neque Varronem neque Vatinium eius criminis reos factos esse compertum sit, ne coniectura quidem consequi possumus. Sed quidquid in causa fuit, cur bis iudicis ad subsellia attractus extrema fortuna staret, et ita discederet, ut non ipse innocens

---

[1]) Marcianus Capella. Rec. Franciscus Eyssenhardt. Lips. Teubn. 1866. p. 385, 22. 388, 8. 390, 21. 393, 20. 396, 7. 401 6. 402, 12. 406, 1. 407, 17. 410, 14.

[2]) L. R. H[2] 196. 1 = [4]170, 1.

[3]) Conf. Dion. Cass. 45, 1, 3, 4: *ἄρτι τε ὁ παῖς Ὀκταούιος Καῖσαρ Αὔγουστος* (a. 691/63) *ἐγεγέννητο, καὶ Νιγίδιος Φίγουλος βουλευτὴς παραχρῆμα αὐτῷ τὴν αὐταρχίαν ἐμαντεύσατο· ἄριστα γὰρ τῶν καθ' ἑαυτὸν τήν τε τοῦ πόλου διακόσμησιν καὶ τὰς τῶν ἀστέρων διαφοράς, ὅσα τε καθ' ἑαυτοὺς γιγνόμενοι καὶ ὅσα συμμιγνύντες ἀλλήλοις ἔν τε ταῖς ὁμιλίαις καὶ ἐν ταῖς διαστάσεσιν ἀποτελοῦσι, διέγνω, καὶ κατὰ τοῦτο τὴν αἰτίαν ὥς τινας ἀπορρήτους διατριβὰς ποιούμενος ἔσχεν. οὗτος οὖν τότε τὸν Ὀκταούιον βραδύτερον εἰς τὸ συνέδριον διὰ τὸν τοῦ παιδὸς τόκον, ἔτυχε γὰρ βουλὴ οὖσα, ἀπαντήσαντα ἰδὼν ἀνεβόησεν, ὅτι δεσπότην ἡμῖν γεγέννηκας, καὶ αὐτὸν ἐκταραχθέντα ἐπὶ τούτῳ καὶ διαφθεῖραι τὸ παιδίον ἐθελήσαντα ἐπέσχεν, εἰπὼν ὅτι ἀδύνατόν ἐστι τοιοῦτόν τι αὐτὸ παθεῖν.*

[4]) Pauly. R. Enc. VI, 1, p. 675.

[5]) Momms. H. R. III[2] p. 552 sq. = III[4] 557.

[6]) Conf. Cic. in Vatin. 2, 5. 6. 4, 10. 5, 11. 6, 14. 15. 7, 17. 13, 31. 32.

esse sed iudices peierasse existimarentur, certe non est, cur his fidem non habeamus praesertim cum turbulentis illis Clodianis temporibus iudicia maxime obnoxiia fuisse partium studiis exploratum sit[1]).

Ita neque quae proxime sequuntur omni ex parte sunt reicienda (in Sal. 5, 15): Primum honorem in quaestura adeptus secutus est hunc locum et hunc ordinem (senatum) despectu, cuius aditus sibi quoque sordidissimo homini patuisset. Licet enim huic testimonio refragari videatur, quod ipse Salustius (Iug. 4, 4) eorum temporum senatui opponit, quae genera hominum postea in senatum pervenerint, tamen ne eo quidem tempore senatum pluris quam Caesar fecisse censendus est Salustius. Causa igitur despectionis calumniatori tribuenda, res non est reicienda. Sed quo facto dictove despexerit senatum non est exploratum, nisi quod proxime sequitur (in Sall. 5, 15): itaque timens, ne facinora eius clam vos essent, cum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset, confessus est vobis audientibus adulterium neque erubuit ora vestra. Eo igitur contempsisse videtur senatum, quod confessus est adulterium. Atque nobis sane inverecundi animi et contemptoris esse videtur confiteri palam adulterium, num Romanis idem visum sit praesertim eo tempore, quo „Servius Ocella nemini persuasisset se moechum esse, nisi triduo bis deprehensus esset“ (Cael. ad Cic. fam. 8, 7), in dubium vocari potest.

Atque actum esse in senatu de adulterio malisque Salusti moribus et ex iis, quae de eiciendo Curione acta esse narrat Dio Cassius (40, 64, 1) conici potest, et ex hoc invectivae auctoris illoque Horati eiusque commentatoris testimonio conficitur. Sive enim palam professus est adulterium, sive libertinarum amores profitendo adulterii crimen a se removere conatus est, certe tam dissoluti animi professus est indicia, ut senatu moveretur et a Lenaeo per iram lastaurus dici posset. Quare nescio an rectius quam Kritzi et Dietschi standum sit Gerlachi et Teuffeli iudicio, qui adulescentiam Salusti vitamque in re publica occupatam liberiorem fuisse existimant.

Quod autem lurconem et nebulonem popinonemque eum dicit Lenaeus non ad priorem solum vitam publicam sed ad posteriorem etiam a re publica remotam referendum esse putaverim. Bene enim hac in re Lenaeo convenit cum Porphyrione, qui ad Hor. Serm. 1, 1, 102 haec adnotavit: „Huius[2]) libertum (Acro: coquum) Damam nomine Salustius Crispus historiarum scriptor fertur centenis milibus annuis (Acro omisit) conductum habuisse.“[3]) Quod cum opulentae magis vitae et tranquillae conveniat, quam partium studiis exagitatae equidem non (cum Gerlach p. XVII Teuff. Sal. 1, 3, p. 2) ad adulescentiam neque ad vitam publicam sed ad ea tempora rettulerim, quibus remotus a re publica vitam in litteris occupatam egit in hortis illis pretiosissimis, quos Salustium sibi pecunia in provincia collecta comparasse supra memoravimus. Atque siti

---

[1]) Lang. A. R. III. 293.

[2]) L. Cassi Nomentani, lurconis adeo sine respectu bonorum prodigi, ut sestertium septuagies gulae ac libidini impenderet.

[3]) Orelli-Baiter ad loc. cf. Lübker[4] s. v. Nomentanus.

erant illi horti inter collem hortorum, qui nunc Pincius dicitur, et Quirinalem[1]) et ita summis naturae et artis monumentis ornati, ut eos Nero (T. ann. 13, 47), Vespasianus[2]), Nerva, Hadrianus, Aurelianus (Vospisc. c. 44), multi denique imperatores sedem atque domicilium sibi deligerent. Erant ibi templum Veneris Erycinae, circus vetus (cf. Liv. 30, 38 anno 550/204), conditorium (Plin. n. h. 7, 16, 75), porticus, in qua Aurelianus quotidie et equos et se fatigabat (Vopisc. c. 44), thermae Salustianae ad pyramiden (Itiner. sec. XI), domus Salusti inter portam Salariam et Nomentanam sita, quae integra mansit usque ad Alarici tempora[3]), denique forum, cuius hodie quoque supra hortos exstant, reliquiae (Gerl[1] II 2, p. 26). Statuae quoque nobilissimae iis locis effossae sunt (Gerl[1] ll.). Sed utrum a Salustio exstructa sint haec tanta aedificia et artis monumenta, an ab eius nepote an ab imperatoribus, quibus illi horti in delciis fuerunt, non est exploratum. Illud unum manifestum est, si non domum at forum tamen et circum et reliqua hortorum aedificia et ornamenta usui fuisse publico, neque privatis unius Salusti deliciis servisse tantos hortorum ambitus. Quare neque opprobrio Salustio tribuerim eorum magnificentiam, immo liberalitatis et munificentiae eam duxerim. Quae Caesar de ornanda instruendaque urbe meditatus quidem sed quominus perficeret praematura morte praepeditus est[4]), ea Salustius quantum potuit perfecit. Atque hanc ipsam Salusti liberalitatem et munificentiam in causa fuisse putaverim, cur foedissimis illis triumvirorum proscriptionibus aliisque rapinis non privaretur bonis. Comparaverat enim divitiis in provincia collectis et hortos et villam Caesaris Tiburtinam et, nisi antiquarum rerum studiosos fallit opinio, domum illam nobilissimam Pompeiis erutam, quam a pictura in ea inventa Actaeonis domum dicunt alii, alii Salusti domum (Guhl et Kohner p. 455).

Ex his sumptibus tantum sibi servasse pecuniae veri simile est, quantum ad laute et sumptuose vivendum abunde sufficeret. Quare cum multi Salustio inviderent, eiusque „tanto tamque utili labori nomen inertiae imponerent“

---

[1]) Tac. hist. 3, 82, ann. 13, 47, cf. Ed. Gerhardi ad Gerlachium epistulam datam Roma VIII. Kal. Sext. 1825 in ed. tripart. vol. II, 2 p. 25 sq.

[2]) D. Cass. 66, 10, 4: *ὀλίγα μὲν ἐν τῷ παλατίῳ ᾤκει, τὸ δὲ δὴ πλεῖστον ἐν τοῖς κήποις τοῖς καλουμένοις Σαλουστιείοις διέτριβεν, κἀνταῦθα τὸν βουλόμενον οὐχ ὅτι τῶν βουλευτῶν ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἐσεδέχετο, καὶ τοῖς πάνυ φίλοις καὶ πρὸ τῆς ἕω ἔν τε τῇ εὐνῇ κείμενος συνεγένετο, καὶ ἕτεροι ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτὸν ἠσπάζοντο. αἵ τε θύραι τῶν βασιλείων ἠνεῳγμέναι διὰ πάσης τῆς ἡμέρας ἦσαν, καὶ φρουρὸς οὐδεὶς ἐν αὐταῖς ἐγκαθειστήκει.*

[3]) Post. Ch. n. 410. cf. Procop. bell. Vandal. 1, 2: *Ἀλάριχόν τε τῇ πόλει ἐδέξαντο, οἱ δὲ τάς τε οἰκίας ἐνέπρησαν, αἳ τῆς πύλης ἄγχιστα ἦσαν. ἐν αἷς ἦν καὶ ἡ Σαλουστίου τοῦ Ῥωμαίοις τὸ παλαιὸν τὴν ἱστορίαν γράψαντος, ἧς τε τὸ πλεῖστον ἡμίκαυτα καὶ ἐς ἐμὲ ἕστηκε.* Num huius domus reliquiae postea restauratae dictae sint „Palatium Salustii“ (Parthey Memorabilia Romae. Berol. 1869, p. 5, 10) et nostris temporibus exstent in villa „Spithoever“ (Gsell.-Fels Rom p. 687) non est exploratum.

[4]) Suet. Caes. 44, Laug. III 459.

(Sal. Iug. 4, 3), quid mirum si Lenaeus eum lurconem nebulonem popinonemque dicit et Horati commentatores ei coquum centenis milibus conductum exprobrant.

Invidiae igitur potius quam calumniae ista quidem tribuerim, sed lautum victum Salustio vitio non dederim. Immo si tantis divitiis miser abstinuisset et timuisset uti, tunc vero tenacitatis atque turpissimarum sordium notam non effugisset.

Reliquum est, ut inquiramus in ea, quae de Terentia Ciceronis uxore disputaverunt viri docti. Haec enim de ea refert Hieronymus (in Iovin. 1, 48, = ed. Maurina Paris. 1706 tom. IV pars II p. 190): Illa interim uxor egregia, quae de fontibus Tullianis hauserat eloquentiam, n u p s i t Salustio inimico eius et tertio Messala Corvino et quasi per quosdam gradus eloquentiae devoluta est." Quod quidem Hieronymi testimonium per se incredibile esse videtur Kritzio (prol. p. 4), nam cum divortii tempore Terentia minimum quinquagenaria esset, quippe quae iam circa annum 675/79 Ciceroni Tulliam peperisset, annis tam imparem fuisse Salustio, ut is nisi singulares quasdam causas habuerit matrimonii ineundi cum illa, vix putandus sit integra aetate et re familiari florentissima tam inaequale coniugium quaesivisse. Ad haec dicendum: primum annorum numerum male computasse Kritzium, non enim minimum quinquagenaria fuit Terentia divortii tempore, sed quadraginta quinque fere annos nata, neque anno 675/79 nata est Tullia, sed sub finem anni 678/76, cum extremo anno 677/77 uxorem duxisset Terentiam, sub finem anni 690/64 in matrimonium daret Tulliam XIII annos natam C. Pisoni L. F. Frugi (Klotz. memorab. vitae Cic. ad ann.). Idem fere conficitur ex Dione Cassio, siquidem Terentiam (Gerlach.[2] praef. XVIII), non Publiliam significavit, cum haec de Vibio Rufo scripsit (57, 15, 6): *Οὐίβιος Ῥοῦφος τῷ τοῦ Καίσαρος δίφρῳ .... ἐχρῆτο . . . καὶ τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικὶ συνῴκει, σεμνυνόμενος ἐφ' ἑκατέρῳ ὥσπερ ἢ διὰ τὴν γυναῖκα ῥήτωρ ἢ διὰ τὸν δίφρον Καῖσαρ ἐσόμενος*[1]). Quae cum in annum Chr. 16 vel 15 referenda sint, et centum et tres annos expleverit Terentia (Plin. n. h. 7, 48, (49) 158), post annum 664/90 nata non ita impar aetate fuit Salustio, ut matrimonium factum esse credi non posset. Accedit Terentiae vigor, quae postea cum nupserit tertio Messalae Corvino (Hieron. l. l.) viginti trigintave annis minori natu, postremo cum Vibio Rufo habitaverit (Dio. Cass. l. l.), et centum tres annos expleverit (Plin. l. l.), eo quidem tempore, cum mediam fere aetatem ageret, nescio an vegetior etiam fuerit Salustio neque ita inaequale fuerit conubium, ut singulares eius rei causae sint quaerendae. At cum Dietsch (praef.[3] p. 6) nisi partium studio aut divitiarum spe Salustium ut Terentiam duceret adduci non potuisse statuat, atque neutram causam in Salustium cadere contendat, ego neque a partium studio tam alienum fuisse Salustium neque adeo abhorruisse a divitiis putaverim, ut utranque

---

[1]) Cf. Iuven. sat. 7, 213 sq.:
Sed Rufum atqe alios caedit sua quemque iuventus,
Rufum, quem toties Ciceronem Allobroga dixit.

ad eum pertinuisse negaverim. Accessit utriusque litterarum studium, neque enim Terentia fuit tam aversa a Musis, ut non per quosdam eloquentiae gradus quasi devolveretur usque ad Rufum barbare loquentem (Allobroga), neque Salustius in Caesaris negotiis etiam tum adeo fuit occupatus, ut nondum in rebus gestis scribendis Terentiam se multum iuvare posse speraret (contra Dietsch l. l.). Sed num ante divortium rem habuerit cum Terentia non est exploratum. Cicero quidem „optimam et fidelissimam uxorem“ dicit Terentiam (ad Qu. fr. 1, 3, 3) et suavissimam et optatissimam (ad fam. 14, 2, 2); sed iam III Nonas Junias 707/47 ad Atticum (11, 16) scribit, auditum esse ex Philotimo eam scelerate quaedam agere. Quod quidem Ciceroni vix fuit credibile, sed de testamento eam admonuit. Magis etiam de ea queritur, quod sibi „parvum de parvo“ detraxerit (ad Att. 11, 24, 3: VIII Idus Sext. 707/47 cf. Metzger ad ll. ll.) et de testamenti obsignationibus suspicata sit, cum ipsa non minus suspectos adhibuerit obsignatores (ad Att. 12, 18a, 2. 19, 3. 21, 3). Cum igitur in „reditu ad urbem (mense Sept. 707/47) nihilo meliores res domesticas, quam rem publicam offendisset, cum propter domesticorum scelus nihil sibi intra suos parietes tutum, nihil insidiis vacuum videret, novarum se necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavit“ (ad fam. 4, 14, 3 sub finem anni 708/46). Terentia enim dimissa uxorem duxit Publiliam. Sed cum bona eius heres a patre fidei commissarius relictus custodiret eamque paulo post dimitteret, neque proximo anno 709/45 neque posteriore 710/44 (ad Att. 12, 22, 1. 23, 2; 16, 6, 3. 15, 5) ea quae debebat Terentiae solvere potuit, quod ei maximo fuit dolori. Inde quaenam scelerate fecerit Terentia, num rem habuerit cum Salustio, quamquam fieri potuit, cum et Cicero ab urbe abesset et Salustius quaestura administrata ad urbem esset, tamen pro certo confici non potest. Neque quod auctor invectivae in Salustium his verbis invehitur (6, 15, 16): „sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum, sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus; audacia tua vincit nostra studia,“ ita ad Ciceronem referendum putaverim, ut de adulterio aut consuetudine Salusti cum Terentia certi quidquam confici possit. Immo vero quod (idem?) auctor invectivae in Ciceronem (2, 2, 3: uxor sacrilega ac periuriis delibuta) Salustium ita de Terentia loquentem facit, ut eam non minore odio, quam ipsum Ciceronem habuisse videatur, cum ceterarum rerum Salustianarum non sit ignarus, plurimum officere Hiernonymi testimonio concedendum est Kritzio (prol. 5). Quamquam fieri potuit, ut matrimoni memoria, cum quadraginta fere annorum spatium intercessisset, fugeret auctorem, ad Hieronymum, quem his in rebus non levem fuisse comperimus, aut ex Asconi vita aut aliunde perveniret; praesertim cum spe frustratus ut Cicero Publiliam ita Salustius Terentiam paulo post initum matrimonium dimisisse videatur. Certe liberos ex ea aut nullos suscepit aut susceptos brevi amisit, cum sororis nepotem equestri ortum loco in nomen adsciret. Atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias copiaque et affluentia luxu propior. Suberat

tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quo somnum et inertiam ostentabat (Tac. aim. 3, 30, cf. 1, 6. 2, 40).

Expositis igitur antiquissimis de Salusti moribus testimoniis id effecisse mihi videor, ut Salusti mores neque meliores neque deteriores si non Ciceronis aut Catonis [1]) at plurimorum tamen aequalium moribus fuisse appareat. Quin etiam Cicero Salustium non maiore negotio purgare potuit ea oratione, quam pro Caelio habuit, quam accusare interrogatione in Vatinium vel Pisonem. Verum ut nemo eum purgaret, omnes fere incusarent, factum esse puto cum partium studiis tum privatis inimicitiis. Accessit eius in scriptis severitas, quam a Lenaeo, Gellio, Dione notatam esse memoravimus. Et eam ipsam in causa fuisse puto, cur seriores (sic Kritz prol. p. 9) scriptores, qui a partium studiis privatisque inimicitiis essent remoti, graviorem tamen de Salusti moribus ferrent sententiam. Macrobius enim (Sat. II. 9) eum gravissimum alienae luxuriae obiurgatorem et censorem appellavit; Lactantius (instit. div. 2, 12, 12) eum hominem n e q u a m dixit et haec addit: „Recte si ita vixisset, ut locutus est; servivit enim foedissimis voluptatibus suamque ipse sententiam vitae pravitate dissolvit.“ Symmachus (ep. 5, 9) eum „scriptorem stilo tantum probandum“ dicit; nam morum eius damna non sinere, ut ab illo agendae vitae petatur auctoritas. Nec minus vehementer T. Pomponius Laetus, Joann. Chrysost. Soldus, Petrus Crinitus, omnes denique, qui ante Cortium vitam Salusti scripserunt, morum eius et scriptorum discrepantiam reprehenderunt. Quin etiam nostra aetate sunt qui dicunt, ipsa vitia Salusti minus sibi videri reprehendenda, quam quod eius vita cum scriptis pugnaverit, quod alienae luxuriae atque nequitiae gravissimus censor atque obiurgator, tanta cum turpitudine vitam egerit. Quibus pauca sunt respondenda.

Atque primum eis, qui dicunt, non ex vero animi affectu fluxisse illam, quam in eo admiramur iudiciorum severitatem, sed tamquam fucum quendam inductum esse eius scriptis, quo facilius verborum sonitu inani obtegeret factorum malam famam, optime respondit Kritz (prol. p. 15): videant ne quod ita probatum eunt, iam pro probato habeant ac simul parum speciosam causam suspitioni suae praetendant. Nam qui fallere student ac simulando pariter atque dissimulando criminibus, quibus laborant, se purgare, iis artificio ad id composito opus est multum a Salusti simplicitate abhorrente, cuius idem est per varia scripta calor, idem ubique honestatis animus, nihil ut quaesitum videatur, sed omnia dicta ex rebus ipsis provenisse et cum rebus congruere appareat.

Quod autem in iis, quae (Cat. 3, 4. 5) de se ipse dicit, confessionem culpae cognoscunt, quam severa aliorum censura diluere studuerit, rem quidem augere, sed non mihi videntur errare. Primum enim illa verba unice ad invidiam ex contentionibus partium civilium ortam spectare neque ulla ex parte de moribus infamitatis accipi posse vix mihi probaverit Kritz. Inest in illis verbis aliqua morum confessio, inest etiam excusatio. Nam ubi ad rem publi-

---

[1]) Maltebrun. apud Bähr H. L. R.[4] § 234[151].

cam delatus est, tametsi animus insolens malarum artium audaciam, largitionem, avaritiam aspernabatur, tamen inter tanta vitia corrupta est imbecilla aetas et ambitione factum est, ut corrupta teneretur [1]), et cum ab reliquorum (ut Catilinae sociorum) malis moribus dissentiret, iis animo non assentiret, nihilo minus eum honoris cupido eadem qua ceteros fama atque invidia vexabat. Corruptam igitur inter vitia aetatem non negat, immo confitetur, neque tamen ita corruptam, ut animus insolens malarum artium pessum daretur (Iug. 1. 4), ut non aspernaretur vitia, ut ab reliquorum malis moribus non dissentiret, ita quidem ut bene de se dicere posset illud Medeae: „Video meliora proboque: deteriora sequor“ (Ov. Metam. 7, 20 sq.).

Neque ultro se in ea vitia incidisse dicit, sed studio rei publicae ad ea delatum, ambitione in iis retentum, honoris cupidine eadem qua ceteros fama atque invidia vexatum. Atque his ipsis se quantum potest excusat. Si enim ad rem publicam non esset delatus, in ea vitia non incidisset; si non detentus ambitione, non corruptus, si non appetisset honores, non esset vexatus mala fama. Atqui studium rei publicae, ambitio, honoris cupido non sunt mala; bene igitur iis excusare potuit vitia, quae inde quasi ex fontibus fluxissent. Cum autem, ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, altius inquireret, quo pacto fieri potuisset, ut ex re bona ea vitia provenirent, id potissimum in causa fuisse vidit, quod non sit usus animi imperio, corporis magis servitio. Quod cum sero intellegeret, ipsum suae vitae publicae poenituisse non est cur existimes, taeduisse nemo non colligit ex prooemiis. Sed ne quod ipse expertus demum intellexit, alii quoque experirentur, in prooemiis monuit et exemplis in libris ipsis expositis docuit. Quid igitur mirum, si cum in vitia, quibus ipse abnoxius fuisse videbatur, ex animo inveheretur scriptis, maiore etiam invidia vexatus est ab aequalibus et posteris, quippe qui quo id faceret consilio minus intellegentes philosophiam in factis non in verbis esse censerent cum Seneca, qui (ep. 20, 2) haec habet: „Facere docet philosophia, non dicere; et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat.“ Non enim viderunt aut videre noluerunt posse animi sententiam a corporis voluptatibus discrepare atque inter ipsa vitia animum incolumem servari, quin etiam ubi corporis voluptates, a quibus quasi oppressus se movere aliquamdiu non potuit, desierint, maiore vigore reviviscere. Praeterea eos fugit inter facta et dicta si non magnum at aliquod tamen temporis spatium intercessisse, quo animus requiescere et sui quasi compos fieri posset. Id supra demonstravimus.

At si ubi animus requievit et quasi revixit sua vitia agnovit, cur ea non aperte professus est neque si potuit se purgavit? Possum quidem respondere Kritzi verbis (prol. p. 15): Nisi monstrum quoddam vitiositatis fuit, vix potuerat in illis temporibus et in illa urbe prae ceteris flagitiosus videri, et cum haud dubie plurimi essent, qui vel simili vel longe maiore culpa tenerentur, non perspicitur, cur in communi corruptela ceteris purgatior videri vellet. Ergo

[1]) Cf. Cat. 4, 2: me ambitio mala detinuerat.

neque profitendi neque defendendi neccessitas fuit Salustio. Sed plus valere mihi videtur hoc alterum, Salustium non suam vitam, non sui quasi apologiam scribere sibi proposuisse, sed rerum gestarum memoria, qua egregiis viris ardorem quemdam ad gloriam in pectore accendi nosset, quam maxumo usu esse rei publicae (Iug. 4, 1. 6). Atqui hunc in finem non modo nihil profuisset, verum etiam plurimum offuisset, aperta malorum morum confessio, quippe quae et scriptoris et scriptorum imminuisset fidem et auctoritatem. Quantum autem ex re esse putabat, ut qui non legerent tantum sed etiam cogitarent, et sua vitia perspicerent et suam excusationem intellegerent, tantum in exordiis librorum de se confessus est. Itaque quod non aperte confessus est, id in summis eius laudibus pono.

At invehitur in alios culpae obnoxios, acsi ipse innocens esset, et iniuria, quam sibi factam conqueritur, alios afficit. Quid igitur mirum si, ut uno pro multis utar exemplo, quod Sullae vitio tribuit, in ipsum recidit? Primum in exemplum inquiramus. Sunt enim haec apud Plutarchum (comp. Lysandri cum Sylla c. 3): *ὁ (Σύλλας) δ'οὔτε νέος ὢν περὶ τὰς ἐπιθυμίας ἐμετρίαζε διὰ τὴν πενίαν, οὔτε γηράσας διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλα τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις, αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλούστιος.* Quae ultima verba ad hist. fragm. I 40 Kr. „Insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum" referenda esse libenter concedo Kritzio, qui optime vidit, his verbis Salustium gravis alicuius viri iudicium de Sulla proferre. Quod autem illud i n s a n u m sua sententia significare dicit i n s a n a l i b i d i n e f l a g r a r e, ut errare mihi videatur, vis vocis „sententiae" facit; neque ut a l i t e r idem significare putem ac a l i a s, Charisi (II, 14, 25 p. 114 L). auctoritate adducor, sed ita ad a t q u e referendum puto, ut animi sententia (quam legibus ostenderat), factis (luxuriae) opponatur et haec fere sit sententia: Insanivisse Sullam in alias mulieres aliter ac sua fuit sententia. Itaque non tam accusare quam excusare mihi videtur Sullam meliore animi sententia.

Eodem fere consilio Iug. 95, 3 Sullam otio luxurioso fuisse dicit, tamen ab negotiis numquam voluptatem remoratam esse. Neque quod subiungit: „Nisi quod de uxore potuit honestius consuli" aut argumentum adhibendum est ad adulterium Salusti improbandum [1]), aut tribuendum est Salusti maledicentiae. Quid enim aliud iis verbis significavit, quam uno ab officio vel negotio, quod uxori tribuendum erat, Sullam remoratam esse voluptatem. Num iisdem se incusavit, num Salustium remorata est ulla voluptas ab eodem negotio? Et cum ex aliis scriptoribus (Cic. de fin. 3, 22, 75. Val. Max. 6, 9, 6. Plut. Sull. 36: *συνῆν μίμοις γυναιξὶ καὶ κιθαριστρίαις. . .*) compertum sit, quantopere libidinibus deditus fuerit Sulla, num ei maledixit Salustius? Ita omnibus fere locis, in quibus nimis gravia iudicia inesse putantur, si bene perspexeris, iusta iudicia proferri intelleges. Quod autem conscientia culpae in errorem non inductus de rebus humanis incorruptum iudicium fecit et gravem senatoris Romani personam sustinuit, Salustio adeo non tribuam vitio, ut

---

[1]) Dietsch. praf.[3], p. 8[3], alii.

in summis laudibus eius ponam. Historiam enim, testem temporum, lucem veritatis, magistram vitae, nuntiam vetustatis corrumpere noluit, cuius prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat (Gerl.[2] p. XXII). Quod autem Kritz (prol. p. 14) veri sensum tam incorruptum tamque validum in Salustio vigere potuisse negat, si turpissimis libidinibus obnoxius fuisset, quod cum ex omni antiquitate neminem morum nequitia infamem in scriptis veri, iusti, honesti assertorem et patronum exstitisse dicit, quod igitur Salustium, si talis fuisset, profecto ab ingeni humani natura deflexisse centendit, vehementer errare mihi videtur. Exstiterunt enim et in antiquitate et omnibus temporibus, qui in vitia, quibus ipsi obnoxii fuerant, scriptis invehebantur atque eo vehementius invehebantur, quo magis obnoxii fuarant. Ea est enim ingeni humani natura, ut ubi se errasse cognovit, taedio quodam vitiorum suorum affectum paulo vehementius in aliena vitia invehatur, ut et sua quasi verbis corrigat et alios ab iisdem deterreat. Quid? Qu. Horatius Flaccus, D. Iun. Iuvenalis, ut ex magna copia unum alterumve sumam exemplum, nonne in vitia, quibus ipsi obnoxii fuerant, invehebantur ridendo; nam ridentem dicere verum, quid vetat (Hor S. 11, 24)? Et Qu. Septimius Tertullianus (a 150—220), postquam a saeculi vitiis ad Christianam religionem se contulerat, nonne tanta severitate et acerbitate invectus est in ea vitia, ut in errorem induceretur Manichaeorum [1])?

Neque casu factum putaverim, ut ii potissimum scriptores ecclesiastici, qui vitae similitudine proxime ad Salustium accesserant, postea eius scripta summo studio sint imitati.

Sunt enim Aurelius Augustinus (a. 345—430) et Sulpicius Severus (a. 365—425). Atque Augustinus qualem ante conversionem vitam egerit satis compertum est, quanto studio Salustium amplexus sit satis intellegitur ex eius scriptis, in quibus plurimos Salusti locos laudavit [2]). Sulpicium autem Severum cum „. . . fori celebritate diversans facundi nominis palmam teneret, repentino impetu discussisse servile peccati iugum," testis est D. Paulinus Nolanus (ep. 5, 5). Neque sine causa idem Severus dictus est „Salustius Christianus[3]). Qui enim vitae similitudine se cum Salustio nostro coniunxerat, non eius verba solum imitatus est in scriptis, sed etiam grave et acerbum de suis temporibus iudicium[4]). Quid ergo? quod in Tertulliano, Augustino, Severo factum videmus, id in Sallustio fieri non potuit? Et deflexit Salustius a natura, illi non deflexerunt? Immo vero Tacitus, Quintilianus, Tertullianus, Hieronymus[5]), Augustinus, Severus eo ipso, quod vitam Salusti scriptis non opponunt, se melius quam Dionem, Gellium, Macrobium, Lactantium perspexisse naturam ingeni humani ostendunt, quod ubi fugit vitiorum Charybdim incidit in Scyllam

---

[1]) Cf. Fessler Patrolog. I. 1 p. 46 2sq.

[2]) de civit. Dei I 5. II, 18. 21. III. 14. 17. 21. cf. II 5. ep. 131, 6 etc.

[3]) Fessler Patrol. II, 1, 217.

[4]) Conf. Sulp. Sev. chron. I, 23, 7 cum Sal. Iug. 4, 9 et alios multos locos, quos in unum collegit Pratje: Quaestiones Sallustianae. Dissert. Göttingae 1874.

[5]) ed. Maur. t. IV pars II. p. 657.

severitatis. Salustium igitur, quod ita severus et acerbus est in scriptis, ideo neque omni opprobrio morum malorum liberabimus, neque simulantiae incusabimus, sed ut in multis ita in eo veri sensum oppressum quidem aliquandiu vitiis sed incorruptum atque validum viguisse eoque vehementius tandem erupisse, quo diutius sub vitiis quasi latuerat, existimabimus. Quod planius cognoscemus, ubi quid de philosophicis rebus senserit Salustius perspexerimus.

Cap. II. Quid de rebus divinis et humanis senserit Salustius?

De vita et moribus C. Salusti satis dictum esse arbitror. Deinceps, ut erat propositum, de eius ingenio et dicendi genere dicendum est. Sed antequam ad id ipsum accedam, quae de rebus divinis et humanis senserit Salustius, ut fere moris est, paucis exponam. Licet enim scriptores historici non de sententia, quod dicunt, philosophiae praecepta tradant, tamen ex iis tamquam ex fonte omnis fere fluere solet rerum tractatio, ut neque ingenium neque dicendi genus iuste aestimare possint, nisi unde profecta sint bene perspexerint. Quare miror, quod qui de vita et scriptis C. Salusti disseruerunt, haec, quae summi esse momenti mihi videntur, aut silentio praeterierunt, aut ita non consenserunt, ut alii Stoicis, alii Epicureis, alii nescio quibus philosophis annumerandum esse Salustium putarent.

Atque Stoicorum magniloquentiam sapere dicit Gerlach (vol. II 2, p. 213) haec verba (Iug. 1, 3): „dux et imperator vitae mortalium animus est.“ Etiam quod animum imperio destinatum (Cat. 1, 2), qui agit et habet cuncta neque ipse habetur, opponit corpori servitio nato, quam Stoici ὕλην vocant, quod animum cum dis nobis communem (C. 1, 2), aeternum, incorruptum (Iug. 2, 3) esse statuit, quod denique Caesaris Epicurei de rebus post mortem futuris sententiae Catonis Stoici sententiam opponit[1]), Stoicorum philosophiae eum deditum fuisse putant.

Epicuri autem praecepta secutum esse Salustium, ut Lucretium, Caesarem, alios, quibuscum vitae et scriptorum similitudine se coniunxisset, coniciunt cum ex eius vita, qua voluptatibus servivit, tum maxime e scriptis, in quibus deorum Romanorum, qui quidem vulgo putabantur, nomina non expressit, sed omne divinum voce d e i comprehendit (Dietsch praef. 15[4]), quidquid praeter naturae ordinem insolitum accidere videbatur, ut terrae motus[2]), pestilentia[3]) (3, 27 Kr. = inc. 46 D.), pecoris contagio[4]), ex naturae viribus proferri et procreari ostendit, alia multa ab Epicureis sumpsisse videtur. Epicuri enim esse illud (Iug. 2, 3): „Omnia orta accidunt, et aucta senescunt,“ testis est

---

[1]) Cat. 52, 13, coll. 51, 20. Dietsch ad loc.
[2]) Hist. fragm. 2, 52 Kritz = 2, 43 Dietsch.
[3]) Hist. fr. 3, 2 Kr. = inc. 46 D.
[4]) Serv. ad. Verg. Georg. 3, 469.

Philargyrius, qui ad Verg. Georg. II 336 haec adnotavit: videtur secutus Epicurum, qui ait: Omnia quae orta, occidunt et aucta senescunt. Quem quidem locum a Platone [1]) sumptum esse putat Dietsch, sed cum in iis quae adnotavit vir multa fide neque spernenda doctrina sit Philargyrius [2]), id perperam existimare mihi videtur. Illud autem quod est in Iug. 2, 4: „dediti corporis gaudiis" cum non dicatur nec laetitia nec gaudium in corpore (Cic. de fin. 2, 4, 3), ita expediendum putarunt Fabri et Kritz (ad. loc.), ut corporis gaudia h. l. dici putarent, quatenus animus per corpus voluptate fruens cogitaretur, in quo Salustio convenire cum Epicuro (coll. Cic. Tusc. 5, 33, 96). Contra quos non inepte monuit Dietsch gaudia corporis esse eas res, quibus corpori voluptas affertur, quae non potuerunt voluptates sive sensus corporis suaves et iucundi dici. Quin etiam illo loco Iug. 42, 3: „Sed bono vinci satius est, quam malo more iniuriam vincere," qui quidem bono ad morem referunt (contra Dietsch ad loc.) expressum esse putant illud Epicureorum: *εὐλογίστως ἀτυχεῖν ἢ ἀλογίστως εὐτυχεῖν.*

Epicureisne igitur an Stoicis philosophis adnumerandus est Salustius? Dietsch negat utrumque. Non enim ulli philosophorum sectae addictum fuisse putat Salustium, sed quam ex multiplici variarum rerum cognitione et usu concepisset de vita humana sententiam illustravisse quidem et confirmasse et stabilivisse philosophorum praeceptis, sed ita exposuisse, ut etiam ab iis, qui scientia philosophiae non essent imbuti, intellegi possent. Nam ut universi populi Romani sic Salusti ingenium ad illud maxime inclinasse, quod usum praeberet, nihil unquam probasse, nihil secutum esse, nisi unde aliquid utilitatis in vitam redundaturum esse intellexisset. Quod cum nisi humanae naturae omniumque rerum, quae ad hominem pertinent, contemplatione investigari non posse censeret, Salustium hoc orsum esse principio, ut genus humanum compositum esse diceret ex animo et corpore (Cat. 1, 2, Iug. 2, 1), quae partes cum natura sua essent diversae, quaerendum esse, utra altera esset praestabilior. Haec bene Dietsch (ad Iug. 1, 3, p. 5).

Sed unde in Salustio hoc tantum humanarum rerum cognoscendarum studium, haec tanta rerum cognitio, quantam vix in Thucydide aut Herodoto nedum in iis inveneris, qui Romae ante Salustium res gestas narrarunt? Multa quidem in re publica vidit, multa expertus est, sed ea, nisi in eo fuisset philosophiae studium et disciplina, neque percepisset neque ad philosophiam retulisset. Ab adulescentuli igitur Salusti sapientiae studio profectam esse eam optimarum rerum cognitionem manifestum est.

Atque Empedocleae philosophiae adulescentulum Salustium operam navasse, ubi de adulescentia exposuimus [3]), ex Empedoclis et Nigidi et Salusti natura et indole collegimus, quae inde ad mores Salusti pertinuerint, deinceps, ubi de moribus tractandum fuit, exposuimus (p. 7sq.), nunc quae ad philosophiam

---

[1]) Phaedr. p. 318=245 c, Cic. Tusc. I, 23, 54.

[2]) Teuff. L. R. H.[2] 465[9] = id[4] 479.

[3]) De vita C. Sal. Cr. Cap. V p. 18sqq.

spectent exponemus. Ita enim Salustium Empedocleae philosophiae deditum fuisse veri simile est, ut adulescens eam toto animo imbiberet versibusque latinis redderet eaque ad accuratam initiorum causarumque cuiusque rei cognitionem excitaretur, postea, ubi multiplici variarum rerum cognitione multa Empedoclis placita atque praecepta falsa esse intellexisset, quae veriora sibi viderentur Stoicorum, Epicureorum aliorumque praecepta assumeret atque ita cum Empedocleis coniungeret, ut a philosophandi ratione ab ineunte aetate suscepta non recederet. Nam quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

Atque ipsius rerum dispositionis mira quadam similitudine cum Empedocle se coniunxit Salustius. Ut enim Empedocles, quae Pythagorei de divina natura ac de animorum migratione praeceperant in prooemium[1]) rettulerat (Mull. praef. p. XV), quod cum reliquis praeceptionibus non ita arte cohaerere videtur plerisque (Mull. p. XXIII), ita Salustius quae sibi probarentur philosophorum praecepta in prooemia rettulit, quae ipsa nihil ad historiam pertinere videbantur Quintiliano (inst. or. 3, 8, 9) aliisque, quorum sententiam infra ubi de prooemiis tractandum erit, improbabimus. In rebus autem tractandis Empedocles probe distinguit divina et humana, mutabilia et perennia, rerum naturae vicissitudines et deorum aeternitatem (Mull. p. XVI). Eadem fere monet et praecipit Salustius (Cat. 1, 2 sq. Iug. 2, 1sqq).

Atque ut Empedocles (prooem. vv. 36—40) de vitae brevitate, humanae mentis angustiis reliquisque perfectae sapientiae, quam omnes expetant, impedimentis conqueritur (Mull. p. XXIII 2), ita Salustius vitam ipsam qua fruimur brevem esse dicit (Cat. 3, 4). Quod autem (Iug. 1, 1) falso queri ait de natura sua genus humanum, quod sit imbecilla atque aevi brevis, neque eo discedit ab Empedocle, qui his se verbis excitat[2]):

Θάρσει καὶ τότε δὴ σοφίης ἐπ᾽ ἄκροισι θόαζε!

Immo ut Salustius animum, ubi ad gloriam virtutis via grassetur, abunde pollentem potentemque et clarum dicit (Iug. 1, 3) et eos, qui ingeni opibus bonarum rerum gloriam quaerant, pro mortalibus gloria aeternos fore statuit (Cat. 1, 3. Iug. 1, 5), ita Empedocles vates, poetas, medicos, rerum publicarum rectores futuros esse deos dicit honoribus praecellentes, immortalibus aliis contubernales, fati et interitus expertes[3]) et se iisdem ingenii artibus immortalem factum esse statuit pulcherimo illo carmine, quo iuvenes Agrigentinos ad gloriam excitat (vv. 397—410 Mull. = Baltzer Emped. vv. 346—359 p. 69), ex quo non possum quin aliquos versus adferam:

---

[1]) Mullachius fragm. philos. Graec. Paris. Didot. (1860) I. p. 1 et 2 versus 1—61.

[2]) Mull. v. 52 = Baltzer Empedocles v. 19 p. 59.

[3]) Vers. 457—461 Mull. = Baltzer. Emp. v. 437—441 p. 72:

εἰς δὲ τέλος μάντεις καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροὶ
καὶ πρόμοι ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται,
ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοὶ τιμῇσι φέριστοι,
ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι ἔν τε τραπέζαις
εὔνιες ἀνδρείων ἀχέων, ἀπόκηροι, ἀτειρεῖς.

„Ὦ φίλοι . . . ἀγαθῶν μελεδήμονες ἔργων . . .,
χαίρετ'· ἐγὼ δ' ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητὸς
πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε,
ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσίν τε θαλείοις.

Sed ut Salustio imprimis arduum videtur res gestas scribere (Cat. 3, 2), ita Empedocles haec de se dicit (vv. 411—413 Mull. = Baltz. vv. 360 sq.):

ὦ φίλοι, οἶδα μὲν οὖν ὅτ' ἀληθείη παρὰ μύθοις,
οὓς ἐγὼ ἐξερέω· μάλα δ' ἀ ρ γ α λ έ η γε τέτυκται
ἀνδράσι καὶ δ ύ σ ζ η λ ο ς ἐπὶ φρένα πίστιος ὁ ρ μ ή.

Atque ut eam gloriam magnitudinemque animi non vulgi laude aut existimatione parari statuit Salustius [1]), ita haec de se Empedocles (Mull. vv. 50 sq. = Baltz. 17 sq.):

μηδὲ μέ γ' εὐδόξοιο βιήσεται ἄνθεα τιμῆς
πρὸς θνητῶν ἀνελέσθαι, ἐφ' ᾧθ' ὁσίης πλέον εἰπεῖν.

Et quod Empedocles praecipit [2]), ne quis visis magis credat, quam quantum pupillae doceant, neve auditui obtuso magis, quam clara linguae pronuntiatio doceat, neve ulli reliquarum viarum cognoscendi; ut sensuum fidem declinet, reputet vero quale quidque per se appareat (Mull. p. 2, 2), idem secutus est Salustius. Non enim quid esse videantur, sed quid in se sint res inquirit et exponit, neque rumoribus aut vulgi opinionibus facile adhibet fidem, sed quae sibi non satis sunt comperta aut aliis diiudicanda tribuit [3]) aut expressis verbis dubia relinquit [4]). His locis inter se collatis, longum est enim omnes huius generis locos conferre, ostendisse mihi videor satis multa Empedocleae philosophiae indicia inesse in Salusti scriptis.

Nunc q u a e d e r e b u s d i v i n i s e t h u m a n i s s e n s e r i t S a l u s t i u s inquiramus eorumque quae ab Empedocle profecta, quae a Stoicis aliisque philosophis assumpta esse videantur disquiramus. Atque d e o r u m duo genera statuit Empedocles superiorum et inferiorum (Mull. p. XVII). Et superiores quidem nominibus non distinguit neque eos accuratius designat, nisi quod immortales eos dicit et aperte opponit hominibus iisque qui ex hominibus di facti sunt [5]). Inferiores autem sunt quattuor elementa, quae eorum, qui vulgo putabantur, deorum nominibus designat vv. 159—162 Mull.[6]):

---

[1]) Cat. 8, 1. 51, 1. Conf. Dietsch[2] praef. 15[12].

[2]) Vers. 53—57 Mull. = Baltz. 19—23:

Ἀλλ' ἄγ' ἄθρει πάσῃ παλάμῃ, πῇ δῆλον ἕκαστον,
μηδέ τιν' ὄψιν ἔχων πιστοῦ πλέον ἢ κατὰ κούρας
ἢ ἀκοὴν ἐρίδουπον ὑπὲρ τρανώματα γλώσσης,
μηδέ τι τῶν ἄλλων, ὅπῃ πόρος ἐστὶ νοῆσαι
γυίων πίστιν ἔρυκε, νόει δ' ᾗ δῆλον ἕκαστον.

[3]) ut militibus repentinam pluviam Iug. 75, 7-9, Catoni vitam post mortem futuram Cat. 52, 13.

[4]) „Videtur", „dicitur", „non satis compertum est", „fides rei penes auctores erit" et alia huius modi verba passim adhibet.

[5]) Vid. p. 19.[3] cf. Euseb. praep. Evang. XIII, 13, 19 p. 684 d. p. 22[3].

[6]) Baltz. v. 33 sqq. Conf. Milton Paradis. II. 882—890 (Zachariae), ubi, ut Chaos describat, haec Empedoclis verba ita cum Salusti (Iug. 79, 6) verbis coniungit, ut ab uno eodemque auctore profecta esse videantur.

*Τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀϊδωνεὺς
Νῆστις θ' ἣ δακρύων τέγγει κρούνωμα βρότειον.*

Iovem igitur ignem (candentem) dicit, Iunonem aera (vitalem), Plutonem terram, Nestin aquam. His amumeravit Amicitiam (*φιλότης*) et Discordiam (*νεῖκος*) et reliquos deos, quos vulgus putabat, ex elementorum coagmentatione conflatos et genios, quos ipse commentus est, qui rerum humanarum curam gerentes inter beatos quidem versantur, sed paccatis non abstinent[1]). Inde profecta esse mihi videtur Salusti deorum opinio. Licet enim deorum genera non statuat (pervulgatum enim fuit illud, quod histor. 1, 48, 3 Philippum exclamantem facit: pro dei boni!), tamen quod vulgatis nominibus eos non distinguit neque accurate definit, nisi quod in solemnibus[2]) et aliorum[3]) sententiis immortales eos dicit, ab hominibus seiungit[4]), rerum humanarum curam gerere aliorum verbis dicit[5]), satis ostendere mihi videtur, se non negare quidem esse deos, neque eos neglegere, praesertim cum maiorum in deos pietatem laudet (Cat. 9, 2; 12, 3. 4), eos neglegere in vitiis habeat ex avaritia profectis (Cat. 10, 4), sed alios se ac vulgus putare esse deos eosque illis superiores. Quod autem eorum, qui vulgo colebantur, deorum nomina adeo declinavit, ut pro vulgato „aequo Marte" diceret „aequa manu" (Cat. 39, 4 cf. Dietsch), satis significasse mihi videtur, se eos quidem, aut non esse aut alteris inferiores esse putare certe non pluris quam Empedocli sibi aestimandos, sed vulgi opinionem nolle se impugnare. Atque eo ipse Ciceronis vituperationem effugit, qui in deorum opinione turpissime labi dicit Empedoclem (de nat. d. 1, 12, 29). Quin etiam in dies propius ad Stoicorum de dis praecepta accessisse videtur Salustius; in historiarum enim libris quinquies deos penates profert[6]), semel „Iovem aut alium quem deum consultorem" commemorantem facit Macrum (hist. 3, 61, 15), semel d e o significat numen divinum[7]) (*τὸ θεῖον*). Quod autem in fine orationis Lepidi (hist. fr. 1, 45 Kr.) scripsit: bene invantibus divis[8]), utrum Empedoclis genios significaverit, an ut significaret deos prisco verbo usus sit, vix existimari potest.

Ac de dis satis dictum esse arbitror; videamus n u n c q u a e d e r e b u s h u m a n i s s e n s e r i t S a l u s t i u s? Genus hominum compositum esse dicit ex corpore et animo (Iug. 2, 1), quorum alterum (animum) cum dis, alterum cum bestiis commune esse (Cat. 1, 2). Nam quod Jacobs[9]) a l t e r u m a d a n i m i

---

[1]) Mull. p. XVII. fin. XVIII. initio.

[2]) Cat. 51, 10. 21. 52, 5. 28. Iug, 63, 1. 55, 2; 90, 1.

[3]) Iug. 14, 19 (Adherb.), 75, 9 (militum), 85. 48 (Mari).

[4]) Iug. 14, 20. 52, 3. 70, 5. Cat. 15, 4. 20, 10. 38, 2. hist. 1. 48, 15.

[5]) Iug. 55, 2. 63, 1. 75, 9. 91, 1. 14, 19. 85, 48 alibi.

[6]) Hist. 1, 48. 16. 20. 2, 41. 3. 4. 96, 1.

[7]) hist. inc. 97 D=66 Kr. conf. Serv. ad Verg. Aen. II. 632: veteres d e u m pro magno numine dicebant: Salustius: „ut tanta mutatio non sine deo videretur."

[8]) „divis" enim, quod est in Vat. 1, bene retinet Jordan (1876) contra Kritz aliosque.

[9]) ad locum lect. contra Dietsch ad locum et Dietsch² praef. 15³.

imperio uti referendum esse statuit, vix mihi probaverit. Atque in eo ipso, quod animum nobis cum dis communem esse dicit, bene Salustio convenit cum Empedocle, qui animos hominum nihil aliud esse statuit, quam genios, qui quidem longam sortiti vitam ex antiquo deorum decreto procul a beatis „τρὶς μυρίας ὥρας“ exsulent [1]). Ab eodem Empedocle profectum esse puto, quod corporis cunctas virtutes corporis naturam sequi, brevi dilabi, ortas occidere et auctas senescere dicit (Iug. 2, 1. 2). Is enim (prooem. v. 17 sq.) se flevisse et eiulasse dicit insolitam sedem conspicatum, ubi tetri morbi et contagia et opera fluxa, Ortus et Interitus: „Duplex enim est ei mortalium rerum ortus, duplex item interitus: illum enim coitus omnium gignit et perdit, hic rursus auctus diremptis isdem rumpitur ac dissilit“ (phisic. l. I v. 64 sq. Mullach.). Animum autem incorruptum, aeternum, eiusque egregia facinora immortalia esse ex iis, quae supra ex Empedoclis scriptis attuli, facile colligitur. Quod autem animum rectorem dicit generis humani, qui agit et habet cuncta neque ipse habetur, iam Stoicos philosophos eum secutum esse putaverim.

Quid autem de rebus post mortem futuris senserit Salustius non est facile explicandum; nisi quod e Catonis (Cat. 52, 13), alia dicentis ac significantis dissimilatione, quam Graeci εἰρωνείαν vocant, et gravibus contra Caesarem pontificem maximum verbis facile collegeris Salusti sententiam longe aliam fuisse ac Caesaris Epicureorumque, eumque ab Empedoclea philosophia profectum propius ad Stoicorum sententiam accessisse. Empedocles enim a malitia morali abstinere iubet homines, quoniam qui feroci improbitate erraverint, nunquam ab anxiis aegritudinibus requiescent [2]), bonos autem beatos fore dicit [3]).

Stoici autem philosophi esse inferos docuerunt et sedes piorum ab impiis secretas, et illos quidem quietas et delactabiles regiones incolere, hos vero luere poenas in tenebrosis locis atque in coeni voraginibus horrendis (cf. Lactant. VII., 7, 3). Sed cum eundem Catonem, qui haec fere praecepta Stoicorum contra Caesarem protulisset [4]), antequam sibi mortem consciseeret, ut animum immortalem esse sibi persuaderet, Platonis Phaedonem legisse compertum sit [5]), numquid mirum si Salustius de vita post mortem futura aut non habuit, quod

---

[1]) conf. prooemii vv. 1—8, quibus adiungit v. 9. sq.:

ὡς καὶ ἐγὼ νῦν εἰμι φυγὰς θεόθεν καὶ ἀλήτης
νείκει μαινομένῳ πίσυνος.

[2]) V. 454 sqq. Mull. = B. 434 ff. νηστεῦσαι κακότητος,
τοιγάρτοι χαλεπῇσιν ἀλύοντες κακότησιν
οὔποτε δειλαίων ἀχέων λωφήσετε θυμόν.

[3]) Euseb. praep. evang. 13, 13, 49 p. 684 ed. Dind.: ἣν δὲ ὁσίως καί δικαίως διαβιώσωμεν, μακάριοι μὲν ἐνταῦθα, μακαριώτεροι δὲ μετὰ τὴν ἐνθένδε ἀπαλλαγὴν οὐ χρόνῳ τινὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἔχοντες, ἀλλ' ἐν αἰῶνι ἀναπαύσεσθαι δυνάμενοι, ἀθανάτοις ἄλλοισι ὁμέστιοι, αὐτοτράπεζοι ἐόντες, ἀνδρείων ἀχαιῶν ἀπόκληροι ἀτειρεῖς, ἡ φιλόσοφος Ἐμπεδοκλέους λέγει ποιητική. Cf. p. 19[3].

[4]) Cat. 52, 13: divorso itinere malos a bonis loca taetra inculta foeda atque formidulosa habere.

[5]) Drum. HR. V p. 195 sq. Dietsch. ad. Cat. 52, 13.

proferret, aut si habuit proferre noluit, praesertim cum sapientissimus quisque maximis et gravissimis dubitationibus obnoxius fuerit?

Atque has ipsas dubitationes in causa fuisse putaverim, cur Salustius tantum tribueret gloriae. Ut enim Cicero qui et ipse de vita post mortem futura maxime dubitavit[1]) in oratione pro Archia nullam aliam laborum periculorumque mercedem desiderare virtutem, quam laudis et gloriae, qua quidem detractata non esse quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus, dicit (pro Arch. 11, 28 coll. 12, 30), ita Salustio finis omnium bonorum est gloria atque is demum vivere videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit (Cat. 2, 9). Quo ei rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere et memoriam sui quam maxime longam efficere (Cat. 1, 3.) et eo magnitudinis procedere, ubi pro mortali gloria aeternus fiat (Iug. 1, 5). Quo licet animi immortalitatem in gloria positam esse non aperte dicat, tamen ut Cicero pro Archia (12, 30) memoriam sempiternam post mortem a sensu non afuturam esse immo fore ut pertineat ad aliquam animi partem sperat. Atque a Stoicorum sententia, quorum qui severissimi erant ne digitum quidem bonae famae causa porrigendum esse censuerunt (Cic. de. fin. 3, 17, 57), diversam esse hanc Salusti de gloria sententiam Dietsch (ad Iug. 1, 5) bene adnotavit, ab Empedoclea autem philosophia profectam esse nos supra compluribus locis collatis demonstravimus.

Inde quasi ex fonte fluit, quid de republica senserit Salustius. Eam enim optimam ei visam esse rei publicae conditionem manifestum est, ubi quod unusquisque tamquam finem bonorum omnium sequi debet, id omnes cives sequantur, ut animi imperio corporis servitio magis utantur (Cat. 1, 2), ingeni magis quam virium opibus gloriam quaerant (Cat. 1, 3), ut animi virtus in pace ita ut in bello valeat (Cat. 2, 3) neque pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invadat, ne fortuna simul cum moribus immutetur (Cat. 2, 5). In optimis igitur civium moribus niti putat optimam rei publicae constitutionem. Atque Romanae rei publicae conditionem optimam fuisse dicit ante Carthaginem deletam (Cat. 9, 1 sq. Iug. 41, 1 sqq.). Nam domi militiaeque boni mores colebantur, concordia maxuma, minima avaritia erat (Cat. 9, 1), metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat (Iug. 41, 2). Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit . . . . Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit (Cat. 10, 1), lascivia atque superbia incessere, mos partium et factionum ac deinde omnium malarum artium ortus est (Iug. 41, 1. 3.). Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere, sibi quisque ducere trahere rapere (Iug. 41, 5). Ceterum nobilitas factione magis pollebat, Grachiana victoria ex lubidine sua est usa, bello Iugurthino rem publicam venalem habuit, populum militia et inopia urgebat,

---

[1]) Cf. IV in Cat. 4, 7. 8. 6, 11. p. Cluent. 61, 171. p. Mil. 37, 101. Lael. 4. Cat. m. 21 sqq.

parentes aut parvos liberos militum sedibus pellebat, nihil pensi neque sancti habebat, quoad semet ipsa praecipitavit (Iug. 41 et 42). Nobibilitatis igitur potentiam et avaritiam et superbiam praecipuam omnium miseriarum, quibus tum opprimebatur respublica, causam et originem fuisse indicat.

Neque tamen negat populum libertatem in lubidinem vortisse, plebem omnino cunctam novarum rerum studio Catilinae incepta probasse (Cat. 37, 1 sqq.), homines egentes malis moribus maxima spe rei publicae iuxta ac sibi consuluisse (Cat. 37, 8). Quos cum nobilitas assignandis agris ex malis bonos cives reddere posset quidem sed nollet, ipsa nobilitas ut erat perdita et angusti animi et parvi Salustio desperanda fuit. Quare non est dubitandum, quin, id quod inde a Grachorum seditionibus omnibus fere popularibus persuasum erat, non posse salvari rem publicam nisi per imperatorem, Salustius quoque persuasum habuerit atque Caesarem fore eum imperatorem ineunte aetate intellexerit. Nam et imperium semper ad optimum quemque a minus bono transferri et Caesarem eum virum optimum esse cognoverat, qui rem publicam sanare posset. Is enim iam a principio, id quod supra exposuimus, nobilitatis, factionem disturbavit, plebem ex gravi servitute in libertatem restituit (ep. II. ad Caes. 2, 4), in coniuratione Catilinae bona popularium consilia protulit (Cat. 51), consul cives agris distribuendis meliores reddere voluit, domi militiaeque tam praeclara facinora fecit, ut ne inimici quidem queri quicquam auderent, nisi de eius magnitudine[1]). At regium prope fore illud Caesaris imperium, regias eius voluntates[2]) neque Salustius neque ceteri Caesaris assectatores putaverant. Fuit igitur Salustius ut in vita ita in scriptis patriae amantissimus, quam quo modo posset sanatam atque servatam esse voluit. Itaque cum in senatu optimatibusque non eam esse animi magnitudinem vidisset, non eos mores bonos, quibus sanari posset res publica, omnem spem salutis in Caesare popularibusque posuit. Quae spes ubi eum fefellit, cum neque populares melioribus moribus essent quam optimates et Caesaris animus insolesceret in superbiam per licentiam et in dominationem se converteret (Cat. 6, 7. 7, 2) denique in medio opere morte praeveniretur, a re publica remotus rerum gestarum memoria eam sanandam atque conservandam suscepit. Sperabat enim bonorum morum laude. malorum castigatione se posse cives excitare ad virtutis studium.

Cap. III. Quid de rerum gestarum memoria senserit Salustius?

Vt in rebus divinis et humanis ita in rerum gestarum memoria Salustio neque cum aequalibus neque cum prioribus scriptoribus Romanis convenit. Priores enim scriptores historici, quamvis pro cuiusque ingenio et tempore inter se differrent, omnes tamen ieiuni quiddam et exile sectabantur, neque quicquam praeter nudam temporum hominum locorum gestarumque rerum

---

1) ep. II. ad Caes. 2, 4 cf. de vita p. 22.

2) cf. Cat. 6, 7. 7, 2, Iug. 113, 2.

notitiam habebant. Aequales autem ut L. Cornelius Sisenna (Iug. 95, 3), M. Aemilius Scaurus, C. Iulius Caesar non aliud fere nisi aut suas aut suorum res gestas easque parum libero animo scripserunt. At Salustius ut fuit acri ingenio et multa doctrina primus vidit non nudam rerum gestarum cognitionem, sed iustam earum aestimationem artis historicae finem esse. Non enim ex vulgi aestimatione et laude neque ex fortuna, quae res ex lubidine magis quam ex vero celebrat (Cat. 8, 1), sed ex historia, quae rerum causas auctorumque consilia pandat, aestimari debere res gestas earumque auctores. Quod bene conficit Dietsch (praef.[3] p. 15, 12), ex illis Salusti (Cat. 53, 5 sq.) verbis, quibus multis tempestatibus haud sane quemquam Romae virtute magnum fuisse conqueritur, sed sua memoria ingenti virtute, diversis moribus fuisse viros duos M. Catonem et C. Caesarem memorat, quibus animi magnitudo par, item gloria sed alia alii (Cat. 54, 1). Nam Grachorum, Mari, Sullae, Pompei, Ciceronis non minor fuit vulgi aestimatio, non minor fortuna (Sulla Felix); sed cum iis deesset animi magnitudo, cum a bono abstraherentur libidine, rerum gestarum scriptor eos magni aestimare non potuit. Atque ea ipsa ex causa, ut iuste aestimarentur viri magni eorumque praeclara facta, Salustium scripsisse res populi Romani facile colligitur ex eo quod dicit (Cat. 8, 3. 4) Atheniensium facta, quia ibi provenerint scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem pro maximis celebrari, at populo Romano numquam eam copiam (laudis historicae) fuisse, cum optimus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari, quam ipse aliorum narrare mallet. Inde manifestum fit, quam parvi fecerit Salustius et priores et aequales Romanorum rerum scriptores. Eorum enim scriptis res varias et inter se discretas nullo nisi annorum ordine consentium neque iuste aestimabantur neque celebrabantur res gestae populi Romani.

Omissa igitur suorum consuetudine Graecos cum alios tum maxime Thucydidem secutus non tam temporum aut locorum quam rerum ratione habita, quae nexu interno cohaererent arte comprehendit, factorum causas sagaciter exquisivit, quo quidque consilio gestum sit, dilucide exposuit. Hac enim iusta rerum gestarum aestimatione plurimum se patriae profuturum maiusque commodum ex otio suo quam ex aliorum negotiis rei publicae venturum esse sperabat (Iug. 4, 4). Quod ut praestaret, cum in bonis moribus niti rei publicae salutem sibi persuasisset, antequam quae quibusque gesta sint temporibus exponeret, qui eorum fuerint mores exposuit. Quare nescio an gravius in Salustium consulat Munk (I[2] p. 389), cum ei, quod aequo plus tribuerit moribus, exprobrat; non enim privatam solum sed etiam publicam civium vitam eamque potissimum moribus comprehendit.

Neque tantum rei publicae universae sed etiam singulorum civium amore et suae gloriae studio adductus est Salustius ut res gestas scriberet. Nam ut maiorum imaginibus, ita memoria rerum gestarum vehementissime civium animos accendi putabat, neque prius sedari eam flamam, quam virtutem maiorum atque gloriam aequavisset (Iug. 4, 5. 6), et is demum vivere ei videbatur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerat (Cat. 2, 9). Arte enim bona cum omnem rei utilis et honestae, viro ingenuo

et liberaliter instituto dignae scientiam ac tractationem tum maxime historiam significari ex eo loco (Cat. 3, 1) colligitur, ubi multos laudari dicit, qui aliorum facta scripsere.

Atque ut in maiorum imaginibus ex cera efformandis ita in historia condenda opus fuit veritate et arte. Ut enim totum quid efficeretur, nihil eorum quae aliquo momento essent praetermittendum, quod cuiusque rei maximum et praecipuum esset lectorum animis tamquam luculenta imago obiciendum, totum denique ita proferendum fuit, ut facta dictis exaequaret (Cat. 3, 2) et veram rerum gestarum imaginem oratione effingeret. Quod cum in Romanorum scriptis historicis factum non esse videret, ad Graecos confugit maximeque Thucydidem est imitatus in rebus gestis, quas exponeret, eligendis, disponendis, eloquendis. Ut enim Thucydides eas potissimum res, quas ipse viderat, narrandas sibi sumpsit, ita Salustius relictis iis, quae annalium scriptores priora referre soliti erant, quo veriorem effingeret rerum temporum hominum imaginem, primum Catilinae coniurationem, quam ipse viderat adulescens, narrandam sibi sumpsit, deinde scripsit bellum Iugurthinum, quod quibus gestum esset locis ipse viderat pro consule, denique historiarum libris quinque, quae duodecim annis illis (78—67) gesta sint, exposuit, quae quamvis non omnia vidisset ipse, tamen cognoscere potuit ex hominibus et scriptis fide dignis.

Ita autem disposuit eas res eiusdem Thucydidis artem et veritatem secutus, ut primum quasi sublineret tabulam philosophiae praeceptis in prooemiis expositis, deinde ubi necesse esset res ante actas quasi adumbrando repeteret, tum ipsam imaginem ita depingeret, ut res et homines principes digressionibus et orationibus insertis illustraret atque eminentiores redderet, minores reductiores redderet et quasi obscuraret maioribus[1]). Denique in eloquendo ea usus est arte, ut res iisdem coloribus, quae in ipsis quasi inessent, designaret atque depingeret, ut tempora dissoluta et aspera dissoluto quodam et aspero dicendi genere significaret et quo iudicio suo adderet Catonis illius Censorii gravitatem et severitatem priscum illud Catonis dicendi genus et antiquitatis colorem sequeretur.

Veritatem autem in omni tractatione adeo secutus est, ut, quamvis id imprimis arduum sibi videretur esse (Cat. 3, 2), non solum dicta factis exaequaret[2]), sed etiam quae delicta essent in civitate vel a singulis prave acta reprehenderet et de magna virtute et gloria bonorum ita memoraret, ut unice res non homines spectasse videretur. Atque tanta est in eo aequitas, tanta moderatio, tam liber ab odio et studio animus, ut quamvis ingenuitate sibi insita plebis libertati faveat, tamen plebem sive ex secundis rebus insolentem (Iug. 40, 5), sive rerum novarum cupidam (Cat. 37. 3), pravitatis arguat ac

---

[1]) conferas velim Catilinae, Caesaris, Catonis orationes morumque descriptiones in Catilina, Micipsae, Iugurthae, Adherbalis, Memmi, Mari, Sullae orationes, Africae descriptionem (cc. 17—19), partium factionumque expositionem (cc. 41—42) in Iugurtha, orationes et epistulas in historiis insertas.

[2]) nam ad veritatem quoque spectare ea verba, bene annotavit Dietsch ad loc. p. 10.

turbulentos eos duces vituperet[1]). Rursus nobilitatis quidem iniquitatem et iniurias in plebem ubique graviter castigat, neque tamen caeco adversae partis odio adeo abripitur, ut non, quod in nobilitate sanum verum egregium fuit, agnoscat. Ita Catonis virtutem summis laudibus effert (Cat. 53, 6. 54), Metellum iusto praeconio non privat (Iug. 43, 1. 44. 45 sqq.), in ipso Sulla, quae eximia fuerunt, haud invitus praedicat (Iug. 95, 2 sq.); Mari autem laudes prudens atque certo iudicio ita moderatur (Iug. 94, 7), ut non minus eum ornarit, quam ipse Cicero. Quare nescio an recte ad Salustius potissimum rettulerim illud, quod est apud Tacitum (Agric. 1), apud priores . . . celeberrimum quemque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia et ambitione bonae tantum conscientiae pretio ductum esse. Quid igitur mirum, si Salustius ipse dicit (Cat. 4, 3. 18, 1), se quam verissume posset scripsisse et (Cat. 4, 2) eo magis statuisse res gestas populi Romani perscribere, quod sibi a spe, metu, partibus rei publicae animus liber esset, neque (hist. fr. 1, 6) se divorsa parte in civilibus armis motum esse a vero? Quid mirum, si D. Augustinus eum nobilitate veritatis historicum dicit (de civit. Dei I. 5), si D. Isidorus (Orig. 13, 21, 10) et Vibius Sequenter (de flum. ap. Grut. p. 7) eum auctorem certissimum appellant, si omnes fere, qui de Salusti scriptis exposuerunt, eius veritatis studium laudaverunt.

Triplex igitur Salustio rerum gestarum memoriae scribendae fuit causa: amor patriae, civium, suae gloriae; triplex eius finis: iusta rerum aestimatio, animorum ad virtutem excitatio, suae gloriae comparatio; triplex via et ratio: rerum ad causas relatio, quod *τὸ πραγματικόν* dicunt, summum veritatis et artis studium. Quae cum Romanis quidem optimae viderentur causae, optimi fines, optima via et ratio, mirum non est Salustium iam antiquis visum esse omnes superiores historicos ita longe superasse, ut Martialis (epigr. 14, 191), eum primum in historia Romana diceret, posteriores autem ita inferiores reliquisse, ut Quintilianus (inst. or. 2, 5, 19) eum ipso Livio maiorem historiae auctorem diceret neque Thucydidi opponere Salustium vereretur (instit. or. 10, 1. 101), Tacitus (ann. 3, 30) eum rerum Romanorum florentissimum auctorem appellaret maximeque imitaretur.

Attamen fuerunt non pauci, qui alius aliud Salustium peccasse contenderunt. Quorum quae iure quae iniuria exprobrent Salustio breviter in singula inquiramus. Atque quod ad mores hominum eorumque naturam ut ad fontes rettulit res gestas, graviorem quidem esse Munki (I² p. 389) sententiam, qui eam rerum contemplationem quasi mancam curtamque dicit, supra memoravimus, sed in morum temporumque descriptionibus mores maiorum et tempora ante acta plus aequo laudasse, sua tempora suorumque mores nimis acriter vituperasse, id quod idem Munk exprobrat Salustio, negare non possumus. Quod autem idem Munk (I². 389. 390) exprobrat Salustio, quod quamvis sibi a partibus rei publicae liberum esse animum gloriatus sit, tamen adversarum partium imprimisque Ciceronis egregia facinora, suarum partium maximeque

[1]) Cat. 38, 1. Iug. 42, 2. Hist. fr. I. 11. IV. 57 Kr.

Caesaris vitia silentio texerit et obscuraverit, **ad veritatem pertinet**, de qua, cum plures exprobrent Salustio, uberius exponendum est.

Mommsen enim (H. R. III.[4] 183) id quod supra memoravimus, Salusti de Catilinae coniuratione librum Caesaris quasi apologiam esse dicit, qua populares partes commendet Caesaremque nota inusta purget, simul C. Antonium, M. Antoni triumviri avum excuset, bellum Iugurthinum autem Mari quasi laudationem funebrem esse. Partium igitur studio ductus esse ei videtur Salustius neque eo infringi immo vero confirmari sententiam, quod id consilium studiumque Salustius nusquam prodat neque verbo significet. Atqui Salustius, cum sibi animum a partibus liberum esse neque se diversam partem in civilibus armis movisse a vero (hist. fr. 1, 6) diceret, aut aperte mentitus est, aut gravius in eum consuluit Mommsen. Atque in Catilinae coniuratione enarranda qua sit Salustius fide et auctoritate uberrime exposuit Gerlach[1]), nuper optime exposuit atque meo quidem iudicio litem composuit Dietsch[2]), qui haec fere statuit, Salustium non solum sceleris atque periculi novitate (Cat. 4, 4), sed etiam iis, quae Caesaris caedem secutae sunt, criminationibus[3]) adductum esse, ut de Catilinae coniuratione paucis quidem sed quam verissume posset absolveret. Quamvis enim recessisset a re publica eiusque partibus, quamvis sibi esset animus a spe metu partibus rei publicae liber, tamen non potuit, quin Caesarem eiusque assectatores, in quorum numero fuisset ipse, a falsis illis criminationibus, quibus coniurationis fautores adeoque auctores fuisse arguebantur, defenderet atque liberaret. Atque ita defendit, ut veras coniurationis causas aperiat, vera Caesaris consilia studiaque proferat, quod quidem hoc verius facere potuit, quod ipse viderat atque perspexerat coniurationem et rei novitate perculsus de ea scribere iam ab ineunte aetate proposuerat. Neque igitur mentitus est Sallustius, neque Mommsen, si bene intellegantur eius verba, gravius in eum consuluit. Quamquam Mommsen ut in aliis ita in hac re nimia usus est iudici levitate verborumque acerbitate neque facili negotio mihi probaverit, bellum Iugurthinum Mari esse laudationem. De Mario enim quid senserit, supra exposuimus.

Quaeritur iam num Salustius partium studio a vero abstractus de optimatium maximeque Ciceronis laudibus aequo plus detraxerit. Atque Metelli, Sullae, Catonis laudes non imminuisse Salustium Kritzi verbis supra exposuimus de Ciceronis autem laudibus imminutis a Salustio uberrime exposuit Gerlach[4]). Atque haec fere ex lata disputatione colligit: Salustium quidem de industria Ciceronis laudes non imminuisse, sed, quia vitae eius rationes a Ciceronis studiis plane abhorrebant, multa non satis illustrasse, quae Ciceronis potissimum

---

[1]) Ed. tripart. II. 2, pp. 199—208.

[2]) praef.[3] p. 23—36 §§ 16—24.

[3]) Plut. Crass. 13: *ὅμως δ᾽ ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερός ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν πρόστριβόμενος· ἀλλ᾽ οὗτος μὲν ὁ λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν.*

[4]) Ed trip. II. 2, p. 204—208.

virtute atque consilio bene gesta sunt. Quam posteriorem Gerlachianae sententiae partem bene ita emendat Dietsch (praef.[3] § 19 p. 26 sq.), ut Salustium in Ciceronis laudibus aequum modum adhibuisse putet, cum quae laudanda essent non negaret, quae laudari non possent taceret. Nam cum egregium hominem novum eum dixit[1]), cui dolus aut astutia ad cavendum non deessent (Cat. 26, 2), cum optimum consulem appellavit (Cat. 43, 1 Dietsch[3] ad. l.), qui maximam dedisset operam, ut eos, qui coniurassent quam maxume manifestos haberet (Cat. 41, 5), cum orationem eius in Catilinam luculentam atque utilem rei publicae dixit (Cat. 31, 2), satis laudis Ciceroni tribuit. Quod autem alteram, tertiam, quartam, quam Cicero in Catilinam habuit orationem, non commemorat, non est tribuendum invidiae; nam nisi litterarum curiositate adductus eas commemorare non debuit.

Neque illud est reprehendendum, quod (Cat. 46, 2) Ciceronem auxium facit et dubitantem, quid facto opus esset, et coniuratione patefacta a plebe ad coelum latum (Cat. 48, 1), Crassum et Caesarum cum aliorum tum ipsius Ciceronis testimoniis crimine purgat (Cat. 48, 4 sqq. 49, 1—4). Ex ipsa enim verborum et sententiarum conformatione manifestum fit, quam studiosus fuerit veri. Quod autem in decernendo extremo supplicio primores partes tribuit Catoni, quod et honores et iniurias, quibus sub finem consulatus adfectus est Cicero, silentio praeteriit, acre ingenium magis et historici scriptoris munus quam partium studium significavit. Plus enim Catonem quam Ciceronem in republica vidisse et acrius institisse sibique constitisse omnibus est exploratum. Quare, qui quidem iuste aestimavit res gestas, Ciceronis et laudes et inimicitias non potuit quin aut taceret aut vituperaret. Atqui vituperare noluit; bene igitur texit silentio. Partium igitur studio Salustius non est abductus a vero.

At si non partium studio recessit a vero, multa tamen ita neglegenter scripsit, ut eius veritas et fides in dubium vocari possit. Nam si aliorum auctorum scripta cum Salusti libris contuleris, multa invenies, quae ad rem pertinere videntur, ab eo neglegenter omissa, tempora perperam computata, loca non bene descripta esse. Ad haec bene Gerlach[2]) alium aliter de eadem re iudicare scriptorem. Quod alii explanatius atque uberius, alii pressius atque adstrictius dicendum esse putant. Alii nihil omittunt, quod ad rem illustrandam pertinere videatur, et in singulis rebus enarrandis diligentissime versantur, alii pauca eaque insignia atque maxime memorabilia illustrasse satis habent. Quae enim in hominibus ita sunt singularia, ut in alios convenire non possint, ex iis luculentissime naturam et rationem ingeni humani perspici statuunt. Quare in his enarrandis multi sunt et haec potissimum legentes intendere animos iubent. Ex horum scriptorum numero Salustius est, qui orationem hac re maxime variare et ornare studet, quod alia paucissimis absolvit, alia eloquentiae atque sententiarum luminibus exornat. Hoc si reputaveris, facile intelleges, cur multarum rerum nulla mentio facta sit a Salustio: cur de iuvene

---

[1]) Cat. 23, 5 cf. Dietsch praef.[3] p. 26.

[2]) Ed. tripartita II. 2. p. 201 sq.

Catilina non uberius exposuerit, cur eum post praeturam male absolutam primum repetundarum deinde inter sicarios accusatum et absolutum esse non memoraverit, nisi quod haec habet (Cat. 5, 2): Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuerunt, ibique iuventutem suam exercuit. Quae enim in vulgus nota aut ita vulgaria fuerunt, ut etiam alio tempore fieri posse viderentur, ea fere omisit aut paucis comprehendit. Neque illud mirandum, quod memoriam rerum temporibus non accuratius definivit. Fuerunt enim, qui, quod in Ciceronis orationibus accuratissime est scriptum, quo quaeque tempore gesta sint, eadem diligentia Salustium omnia scribere debuisse putarent. Sed in universum satis accurate disseruit, quo tempore facta sit coniuratio, singulos autem dies notare, in qua obscura diligentia multi laudem quaerunt, Salustio supervacaneum visum esse putaverim. Nam cum in rebus scribendis id potissimum agat Salustius, ut interiorem et reconditam hominum indolem aperiat, exteriores istas temporum locorumque rationes passim neglegit, praesertim cum ad rem illustrandam non pertineant. Quod autem vehementissime incusant Salustium, turbasse rerum ordinem iis quae Catilinae capitibus XXVII, XXVIII, XXX, XXXI narravit, equidem Salustium rerum seriem parum attendisse non negaverim. Neque enim transpositis capitibus [1]) omnia suo loco narrantur et sunt alii cum in Catilina tum in Iugurtha [2]) loci, ex quibus parum accuratam temporum rationem habuisse Salustium manifestum fit. Sed cum non, ut annalium librorum scriptores, quo quidque factum sit anno tradere vellet, sed id potissimum ageret, ut res gestas ad causas referret, posthabita temporum ratione res inter se cohaerentes ita composuit, ut earum nexus facile conspici posset. Artis igitur studio adductus est, ut laesae veritatis speciem non effugert. Quod vitio an virtuti tribuam Salustio nescio.

Reliquum est, ut, quae in locis describendis peccasse Salustium arguant, paucis absolvamus. Ita enim sunt levia, ut mentione vix esse digna videantur. Nam qui ita sunt diligentes, ut, cum Cicero auctor sit Aurelia via Catilinam profectum esse, Salustio exprobrent, quod de via non accuratius exposuerit, cum in Manliana castra profectum esse Catilinam narravit, sane non est cur refutentur aut redarguantur. Qui antem in bello Iugurthino populorum sedes et fines, locorum situs non ita illustrasse putant Salustium, ut quasi sub oculos cadant, reputaverint, quaeso, Salustium non loca aut populos Africae sed bellum Iugurthinum scribendum sibi sumpsisse et eorum quae de antiquis Africae populis narravit, fidem penes auctores esse dixisse (Iug. 17, 7). Denique in historiarum libris multo maiorem diligentiam atque operam navasse describendis locis cum ex fragmentis colligitur, tum maxime ex testimonio Festi Avieni, qui in ora maritima (vv. 32—41) haec dicit de Salustio:

„Interrogasti, si tenes, Maeotici
Situs quis esset aequoris? Salustium

---

[1]) Lincker, Ottema, Gerlach 1864 excurs. I. ad Cat. c. 26—31, p. 204—206.

[2]) Jacobs ad Iug. 9, 3 et Cat. 27, 3.

Noram id dedisse, dicta et eius omnibus
Praeiudicatae auctoritatis ducier,
Non abnuebam; ad eius igitur inclitam
Descriptionem (qua locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis paene in obtutus dedit
Lepore linguae) multa rerum iunximus
Ex plurimorum sumpta commentariis."

Quae igitur laudi tribuit Salustio ingeniosissmus poeta Festus [1]), ea nos ei vitio tribuemus? aut cum laudet Festus Salusti in locis describendis veritatem, nos eius fidem in dubium vocemus? Sed ne quis me inconsiderantiae insimulet, quod quae Festus in locis iisque in historiis descriptis a Salustio laudat ad tempora aliasque res et eas in ceteris Salusti libris expositas transferam, paucis monendum esse mihi videtur, Salustium in Catilinae et Iugurthae libris scribendis minus curasse tempora et loca, cum, quod equidem putaverim, ad mores imprimis hominum effingendos animum intenderet, idque potissimum ageret, ut res gestas narrando unam eamque totam rei publicae imaginem efformaret, quam temporibus et locis accuratius descriptis nimium dissolvi putaret. Quod igitur veritas ut faceret postulavit, id ne faceret prohibitus est arte.

Cap. IIII. De Salusti dispositione et elocutione.

At ne arte quidem historica bene usus est Salustius neque in dispostione neque in elocutione. Ita enim res narrandas disposuit, ut nihil ad historiam pertinentibus principiis ordiretur[2]), res priores altius repetendo a narratione saepe digrederetur [3]), orationes directas et epistulas pro sua oratione operi suo insereret [4]) loca, montes, flumina et hoc genus amoena et culta in censum daret et compararet disserendo [5]); ita elocutus est, ut brevitatis studiosissimus obscurus fieret, concinnitatis neglegens orationem nimis variaret, sententias nullis vel paucis particulis inter se aequalitate quadam iungeret, a vulgari et usitato sermone recedens prisco quodam et inusitato dicendi genere uteretur, multa ad Graeca exemplaria conformaret. Haec enim vitio tribuuntur Salustio. Quare quid iure, quid iniuria vulgo exprobrent Salustio paucis exponemus.

Atque prooemia Salustiana num reprehenderit Quintilianus (l. l.) equidem dubitaverim. Ubi enim Aristotelem laudavit, quod in demonstrativis prooemia esse maxime libera existimet, idque et Isocratis et Gorgiae exemplis illustravit, haec addit: Quos secutus videlicet C. Salustius in bello Iugurthino et Catilinae nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est. Nulla igitur

---

[1]) Teuff. L. R. H.[2] 413 p. 945.
[2]) Quintil. Inst. or. 3, 8, 9.
[3]) Cat. 6 sq. 18 sq. 38 sq. 53 Iug. 41 sq.
[4]) Pomp. Trog. apud Iustin. 38, 3, 11.
[5]) Licinianus p. 4 ed. Bonn. Teuff. Sal. p. 19 adn. 4.

inest reprehensio; immo laudi tribuenda esse Salustio prooemia, quippe quibus quid de rebus divinis et humanis sentiat exponat, rerum gestarum fontes aperiat, imaginem quasi adumbret, supra exposuimus (p. 19 et 26 m.).

Eodem fere spectant digressiones[1]). Nam cum non modo res gestas miseramque rei publicae conditionem sed etiam quo facilius emendaret, unde ea profecta sint, expositurus esset, res populi Romani inde ab Aenea repetere priorumque aetatum res gestas partiumque studia paucis colligere necesse esse videbatur. Quare quamquam non est negandum in Catilinae libro nimis saepe interrumpi narrationem, omnes tamen digressiones vitio non dederim Salustio.

Quod autem Pomp. Trogus (Iustin 38, 3, 11) in Salustio reprehendit quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserit, recte reprehendit, si solam veritatem spectat, si simul etiam artem, nescio an iniuria. Licet enim aptissimae sint locis temporibus, moribus sensibus eorum hominum, quos loquentes facit, tamen sunt fictae et, quod quidem de Catilinae et Catonis orationibus exploratum est[2]), longe aliae quam quae habitae sunt. Artis autem praecipua monumenta esse ab ipsis aequalibus magni aestimata, illud argumento est, quod est apud Frontonem (ep. II. 1), Ventidium fusis fugatisque Parthis 716/38 ad victoriam suam praedicandam orationem a C. Salustio mutuatum esse. Nam quod Seneca[3]) orationes Salusti in honorem historiarum legi dicit, homo rhetorum more parum elegans a vero iudicio aeque alienus est ac Licinianus, qui (p. 42 ed. Bonn.) Salustium non ut historicum sed ut oratorem legendum esse putat. Huc adde quod orationes mirum in modum faciunt ad res maiores illustrandas, consilia aperienda, ad orationem variandam atque ornandam. Non igitur vitio sed laudi eas dederim Salustio.

Idem fere de epistulis dicendum puto, ex quibus unam, quod maiori etiam laudi tribuendum est Salustio, veram esse exploratum est[4]), reliquae aut verae esse videntur (ut epistulae a Catilina et Pompeio ad senatum datae. Conf. Teuff. Sal. p. 19, 4), aut ita fictae, ut summam habeant probabilitatem. Denique quod in censum dat loca, montes, flumina et hoc genus amoena et culta[5]), quamquam supra Festi Avieni verbis laudavimus, historiae tamen modum in historiarum quidem libris transisse Salustium ex reliquiis facile conieceris.

Videamus nunc, id quod est alterum, in elocutione quid sit laudandum quid vituperandum?

Atque brevitas Salustiana omnium fere consensu laudatur. Cum enim lactea illa ubertas et dicendi copia, cuius auctores imprimis Hortensius et Cicero fuerunt, in dies magis incresceret, tantum orationis flumen et circulatoriam quandam volubilitatem coërcuit Salustius, cuius ingeni asperitas a verbosa

---

[1]) Cat. 7—13. 18 sq. 38 sq. 53. Iug. 41 sq.

[2]) ex Cic. pro Muren. 25, Plut. Cic. 14; Cicero ad Att. XII 21, Teuff. Sal. p. 19, 4.

[3]) Exc. Controv III praef. 8 p. 397.

[4]) Cat. 44. coll. Cic. Cat. III. 5, 12.

[5]) Licinianus l.l. Teuff. L. R. H. 204, 3 coll. 355. 5.

illa oratione abhorruit et novam quandam dicendi formam invenit; bene igitur Macrobius (Satur. 5, 1, 7) Salustium Ciceroni opponit his verbis: „Quatuor sunt genera dicendi: copiosum in quo Cicero dominatur, breve in quo Salustius regnat. Quare Aul. Gellius (Noctes Att. 3, 1, 6) Salustium vel subtilissimum brevitatis artificem dicit, et in eandem sententiam Sidonius Apollinaris in Panegyrico Anthemi Augusti (carm. II. 190) locutus est:

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
quo genio Plautus, quo flumine Quinctilianus,
qua pompa Tacitus numquam sine laude dicendus.

Idem fere est Quintiliani iudicium, nisi quod in iudiciis eam vitandam esse dicit. Haec enim sunt eius verba (Instit. Or. 10, 1, 32): „Neque illa Salustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis explicationibus iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est," et alio loco (4, 2, 44 sqq.): „Non minus (quam iterationes) cavenda erit, quae nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas, satiusque est aliquid narrationi superesse quam deesse. Quare vitanda est etiam illa Salustiana, quamquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallat, audientem transvolat, nec dum repetatur exspectat." Hanc ipsam brevitatem alio loco (Inst. or. 10, 1, 102) „immortalem illam Salusti velocitatem dicit atque eam ipsam ob causam Salustium post Livium legendum esse iudicat (Inst. Or. 2, 5, 19), eumque cum Thucydide comparat [1]). Item Velleius Paterculus (2, 36) Salustium Thucydidis aemulum dicit, quin etiam vicisse eum, ait Seneca [2]), cum sit praecipua in Thucydide virtus brevitas, et in suis illum castris cecidisse. „Nam in Graeca, inquit, sententia tam brevi habes, quae salvo sensu detrahas; at ex Salusti sententia nihil demi sine detrimento sensus potest."

Neque tamen non fuerunt, qui brevitatem in Salustio aut negarent aut vituperarent. Atque negavit brevitatem Iul. Caesar Scaliger, qui in oratione pro Cicerone haec scripsit: A Salustio autem brevitatem illam peti debere cum scribis, neque quid velis intellego, neque tam vulgi animo conceptam, adeo persuasam, adeo decantatam in illo viro brevitatem umquam comprehendi. Nam si, quoniam frequentibus asyndetis utitur, aut quod non longis periodis ambit argumenta rerum, properare tibi videtur, isto tibi quoque pacto brevibus atque interceptis saltibus centum milliariorum iter minus longum videbitur, quam unius modo stadi intervallum, quod uno spiritu confeceris. At contra videmus Salustium ipsum, cum quid semel dicendum assumpsit, adeo perstare ut saepe numero egredi videatur etqs. Et in Poët. libri 4 cap. 24 eorum sententiam reicit, qui commentarium, non historiam pleniorem scripsisse dicerent Salustium, qui sit historiae pater appellatus. Sed ex his ipsis locis conficitur non tam eloquendi quam disponendi brevitatem in Salustio negare Scaligerum.

---

[1]) Inst. or. 10, 1, 101, et 10, 2, 17, ubi pravos imitatores, praecisis conclusionibus obscuros, Salustium et Thucydidem superare sibi videri dicit. Cf. Gerl.[2] p. 27.

[2]) Controv. 4, 24 p. 274 Bip.

Vituperarunt autem multi iique docti viri Salusti brevitatem, quippe quam sequeretur obscuritas, novitas, inusitatum dicendi genus. Ut enim omittam Lenaei sententiam, qui scriptis monstruosum dixit Salustium, Atteius Philologus nil aliud suassisse dicitur Asinio Pollioni, quam ut noto civilique et proprio sermone uteretur, vitaretque maxime obscuritatem Salusti et audaciam in translationibus (Suet. gramm. 10 extr.). Eidem Asinio Pollioni in quadam epistula, quam ad Plancum scripsit, et quibusdam aliis C. Salusti iniquis dignum nota visum est, quod in primo historiarum maris transitum transmissumque navibus factum „transgressum" appellavit, eosque qui fretum transmiserant, quos transfretasse dici solitum est, „transgressos" dixit [1]).

Titus autem Livius, quem Seneca (Suas. 6) candidissimum omnium magnorum ingeniorum aestimatorem dicit, tam iniquus Salustio fuit, ut sententiam, quam ex Graecis Thucydidis [2]) *δεινὰι γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα* expresserat his verbis: res secundae mire sunt vitiis obtentui, tamquam corruptam dum transfertur obiceret Salustio. Sed recte de eo Seneca (Contr. 4, 24, p. 274 Bip.): Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum praeferat; laudat, quem non timet et facilius putat posse a se Salustium vinci, si ante a Thucydide vincatur. Cum igitur ob pravam quandam aemulationem infestior fuisse videatur Livius, non dubito, quin Salustium pungere voluerit, ubi de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur et orationis obscuritatem severitatem putant, Miltiadem rhetorem eleganter dixisse ait: *ἐπὶ τὸ πλήσιον μαίνονται.* Quibus haec addit Seneca (Contr. 4. 25, p. 284 sq.): tamen in iis etiam, si minus est insaniae, minus spei est. Illi, qui tument et abundantia laborant, plus habent furoris sed plus etiam corporis. Semper autem ad sanitatem proclivius est, quod potest detractione curari; illi succurri non potest, qui simul et insanit et deficit. Non igitur minuit, sed auget opprobrium. Neque nihil opprobri inest et in illis Quintiliani verbis, quae supra memoravimus, et in his (Inst. or. 9, 3, 11 sqq.): ‚Transferuntur et tempora . . . et status . . . et ne morer, per omnia genera per quae fit soloecismus. Haec quoque est, quam *ἑτέρωσιν* vacant, cui non dissimilis *ἐξαλλαγή* dicitur: ut apud Salustium „Neque ea res falsum me habuit" et „Duci probare." Ex quibus fere praeter novitatem brevitas etiam peti solet. Unde

---

[1]) Gell. N. A. 10, 26, 1 coll. 10, 26, 6—10, ubi opprobrio liberat Salustium his verbis: Sed quaero ego, cur non, sicuti ‚cursus' navium recte dici solent, ita ‚transgressus' etiam navibus factus dici possit? praesertim cum brevitas tam angusti fretus, qui terram Africam Hispaniamque interfluit, elegantissime transgressionis vocabulo quasi paucorum graduum spatium definita sit. . . Appetitas porro huiusmodi translationes habitasque esse pro honestamentis orationis, Lucretius quoque testimonium in hac eadem voce dicit. In quarto enim libro clamorem per arterias et fauces gradientem dicit, quod est nimio confidentius, quam illud de navibus Salustianum. Propterea Salustius in eodem libro non eos solum, qui navibus veherentur, sed et scaphas quoque nantes ‚progressas' dicit. Verba ipsa de scaphis posui: Earum aliae paululum progressae nimio simul et incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur.

[2]) cf. Dem. 2. 20 *αἱ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη.* Rehdantz ad loc.

eousque processum est, ut „non poeniturum“ pro non acturo poenitentiam et „visuros“ ad videndum missos auctor dixerit. Quae ille quidem fecerit schemata, an idem vocari possint, videndum, quia recepta sint. Nam receptis etiam vulgo auctore contenti sumus'.

Omnium denique apertissime quidem sed non iustissime Salusti brevitatem dicendi vituperat Seneca Philosophus, qui (epist. 19, 5 (= 114) 16 sq.) haec scripsit: 'Vitia unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur et alter alteri tradunt. Sic Salustio vigente amputatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu. Aruntius . . . fuit Salustianus et in illud genus nitens. Est apud Salustium: Exercitum argento fecit: id est peccunia paravit. Hoc Aruntius amare coepit: posuit illud omnibus paginis . . . . Ille in haec incidebat: at hic illa quaerebat. Vides autem, quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est . . . . Quod opprobrium equidem non ita removerim a Salustio, ut cum Gerlachio Senecam id falso genio saeculi tribuisse putem (Gerl. 1852 praef. pag. XXVI), Salusti vitia fuisse dicit amputatas sententias et verba ante exspectatum cadentia et obscuram brevitatem, Salustium ea induxisse: ceteros imitatos esse et alterum alteri tradidisse. Et sunt apud Salustium amputatae sententiae non rarae. Vitata enim artificiosa verborum comprehensione atque ambitu plerumque per brevia incisa procedit, enuntiata saepe magis iuxta collocat, quam inter se connectit, nudam omnino ornatuque quaesito destitutam dicendi rationem sequitur (Kritz praef. p. 19). Sunt apud eum verba ante exspectatum cadentia. Licet enim aequabilitatem membrorum non neglegat neque rem, quo accuratius designet, ut Romanorum mos est, duobus verbis significare recuset, tamen nunquam pluribus verbis utitur, quam quibus ad res accurate designandas opus est, neque, quo numerosius cadant enuntiata, in fine addit, quae auditui modo non intellectui serviant. Est denique obscura eius brevitas, sed ei qui audit modo, non ei qui legit. Omissis enim levioribus, quae vel minus ad rem pertinent, vel a circumspecto et prudenti lectore facile intelleguntur, potioribus rebus cum cura insistit et coartata et pressa rerum narratione, sententiarum crebritate, verborum pondere dignitatem ita conciliat orationi, ut ei qui legit neque obscura videri possit neque impedita. Quare nescio an laudanda potius quam reprehendenda sit Salustiana brevitas, praesertim cum non auditoribus orationem sed historiam lectoribus scripserit atque id egerit, ut mediam illam, quam ubicumque tenendam esse putat Quintilianus, viam dicendi teneret: „Quantum opus est, quantum sat est“ (Quint. Inst. or. 4, 2, 45). Loca brevitate insignia multa quidem collegi atque exscripsi, sed longum est ea enumerare; ex infinita copia unum adferam ex Catilinae libro (6, 6): „ei vel aetate vel curae similitudine patres appellabantur“, alterum ex Iugurthino bello (39, 1): „Pars dolere pro gloria imperi,“ quorum qui priorem cum loco illo Liviano (1, 8 extr.) posteriorem cum Ciceroniano (de fin. 1, 7, 24) contulerit, Salustio brevitatem laudi dare non dubitabit.

At concinnitatis neglegens nimis variavit orationem. Id enim alterum exprobrant Salustio. Atque concinnitatem orationis non petitam,

immo neglectam esse a Salustio, haud paucis exemplis, quae collegit A. Laws[1]), edocemur. Statuit homo ille doctus Salustium ideo vel maxime variasse orationem, cum velocitate illa cogitandi et narrandi, quam Qintilianus (Inst. or. 10, 1, 102) immortalem dicit, praeditus fuerit[2]). At mihi quidem neque cogitandi aut narrandi velocitatem sed brevitatis studium illo loco significasse videtur Quintilianus, neque ab ea profecta esse variata oratio. Alio enim loco (Inst. or. 10, 3, 8) Salustium tarde et diligenter scripsisse tradit, et sane manifestum esse ex opere ipso laborem. Ubi enim, ut sit vel tardus dum diligens stilus, praecepit (10, 3, 5 sq.), haec addit: Sic scripsisse Salustium accepimus, et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. Laboris igitur et studi non cogitandi aut narrandi velocitatis aut celeritatis esse mihi videtur variatio. Sed ipsum variandae orationis studium non magis ad certam quandam elegantiam referendum, quam quod Salustius et in ipsis verbis et in eorum structura proprietatis est studiosissimus et tam presse et subtiliter loquitur, ut merito incertum dixeris, verba sententiis an sententiae verbis illustrentur (Gerl.[1] III p. 328). Et saepissime quidem in oppositis hanc varietatem animadverteris; licet enim in exaequandis oppositis diligentissimus sit, orationem tamen, quo expressiores fierent diversi sensus diversitate structurae, maxime variavit[3]). Exempla multa collegit Gerlach (III, 329 sq.); ego unum illud proferam, quod est in Iug. 22, 3: „ob easdem artis, non penuria liberorum (se a Micipsa) in regnum adoptatum esse," in quo, ut in aliis, casuum enallage, quam dicunt, non eo spectat, ut casuum (ob cum accusativo et ablativi causae) differentiam tollat, sed ut orationem ad sensuum diversitatem effingat atque accommodet.

Nec minore diligentia verborum tempora modosque variavit Salustius. Ita enim alterum pro altero posuit, ita alterum cum altero coniunxit, ut sua cuiusque vi quod vellet significaret. Atque cum ita res gestas exponat, ut geri negotium et res ante oculos esse videatur, cum non enarret sed ostendat et demonstret summamque affectet evidentiam et perspicuitatem, praesens historicum, quod dicitur, saepissime adhibet, eique alia tempora ita connectit, ut ipsa quasi in umbra locata reliquorum eminentiam augeant expressioremque reddant. Etiam infinitivum, quem dicunt, historicum ad orationem bene variandam saepissime adhibuit Salustius. Nam is modus cum ibi poni soleat, ubi omissa temporis, numeri, personae notatione aliquid fieri vel in statu aliquo esse dicitur, admodum conveniens est in plurium actionum enumeratione, quae quomodo inter se connexae sint accuratius explicare nolumus. Id quod est vel hominum, qui vehementiore animi impetu abrepti multa simul effutiunt, vel eorum, qui varia cuiusdam hominis studia enarrant, quomodo res aliqua gesta sit per partes exponunt, variasque rerum qualitates enumerant. Ubi igitur non id agit, ut quomodo alterum alteri connexum sit doceat, sed ut ex varietate

---

[1]) De dicendi genere Sal. comment. Roessel 1864 p. 18.
[2]) Boese de fide et auctoritate cod. Vatic. Gottingae 1874 p. 14.
[3]) Dietsch ad Iug. 10, 3, p. 84 conf. ind. s. v. oratis variata p. 622.

rerum status cuiusdam vel hominis imaginem effingat, ibi utitur infinitivo historico eumque, quo magis eius vis appareat, cum verbis finitis coniungit[1]).

Etiam illud, quod saepe modo indicativo usus est, ubi coniunctivus modus erat usitatior, equidem non tam ex more Graecorum quam ex Salusti variandi vel potius proprie et accurate dicendi studio profectum esse putaverim. Nam ubi aliorum sensus et cogitata enarrat, suum indicium modo indicativo interponit, res gestas enim ipse illustrare, quam aliorum opiniones et iudicia interpretari maluit[2]). Sed longum est enarrare, quid in singulis lectionibus variatis secutus sit Salustius. Non enim temere sed consilio, non pravae elegantiae sed proprietatis sermonis studio variavit orationem: non igitur vitio sed laudi ei tribuendum est.

Veniamus ad illud, quod tertium exprobrant Salustio, enuntiata nude et aequaliter et eodem fere semper modo esse composita et inter se coniuncta. Et sane hac in re Salustius plurimum differt a Cicerone, Livio, aliis. Quae enim illi apta argumentorum dispositione inter se coniungenda et coagmentanda putarunt, hic aut omissis particulis nude iuxta ponit; aut quo tempore et ordine gesta sint significat particulis: ubi, postquam, tum, deinde, dehinc, post, paulo post, interim, simul, item, praeterea, similibus, aut ut cohaerere inter se aut disiungi doceat enuntiata, saepissime utitur particulis: igitur, ita, sed, ceterum. Verum vitio an laudi id ei ducam nescio. Ita enim ferebat Salusti ingenium, ut, cum plane et aperte narrare quam subtiliter et versute disserere mallet, quae alii multis operoseque conquisitis rationibus evincerent, ipse excellentis ingeni lumine et velocitate arriperet atque ita enarraret, ut breviter comprehensis sententiis quasi oracula edidisse videretur. Ita ferebat historiae, qualem ille sibi mente finxerat, lex, cui ut esset testis temporum et lux veritatis simplex et gravis oratio maxime convenit. Ita ferebat antiquum quod affectabat genus dicendi, cuius id est proprium, ut pura illustrique gravitate magis quam concinna et artificiosa membrorum compositione excellat[3]).

Hinc ad illud devenimus, quod quartum exprobrant, prisco quodam et inusitato genere dicendi usum esse Salustium. Nam ut omittam illud Lenaei, quod supra memoravi, convitium, qui (apud Suet. gramm. 15) Salustium priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem appellavit, Quintiliani quidem tempore „incessebatur noto hoc epigrammate“ (Quint. Inst. or. 8, 3, 29):

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Iugurthinae conditor historiae.

---

[1]) conf. Cat. 16, 2, Iug. 15, 2, et multa alia loca, quae collegit Gerlach III p. 317 sqq. Dietsch in indic. s. v. inf. hist.

[2]) Gerl. III, 324, cf. Cat. 27, 4: quam ad capiunda arma paraverat. Iug. 103, 2: quae sibi duobus proeliis venerant. 111, 2: quis . . . Romani invisi erant, alia loca quae collegit Gerlach ad locum lectum.

[3]) Conf. Gerl. III p. 321. Garbari: De quibusdam stili Salusti proprietatibus (Progr. del. Ginnas. sup. di Trento 1871) p. 4, b.

Minus acerbum, sed tamen improbans est Augusti de eo iudicium, qui, ut est apud Suetonium (Octav. c. 86), in epistula ad M. Antonium haec scripsit: Tuque dubitas, Cimberne Annius, an Veranius Flaccus imitandi tibi sint, ita ut verbis, quae C. Salustius excerpsit ex Originibus Catonis, utaris?" Praecipuum Salusti vituperatorem exstitisse Asinium Pollionem intellegitur ex Sueton. de illustr. gramm. c. 10: „De eodem (Atteio) Asinius Pollio in libro, quo Salusti scripta reprehendit ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit: In eam rem adiutorium ei fecit maxime quidam Atteius Praetextatus, nobilis grammaticus latinus . . . . . Quo magis miror Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum (Atteium) verba et figuras solitum esse colligere Salustio, cum sibi sciat nihil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur vitetque maxime obscuritatem et audaciam Salusti in translationibus." Eundem Pollionem nonnulla verba Salusti reprehendisse testis est Gellius (Noct. Att. 10, 26). Sed ut opprobrio liberet Salustium, quaerit, cur non secuti cursus nauium recte dici solet, ita „transgressus" etiam nauibus factus dici possit? Et auctoritatem Catonis interponit, qui „naues ambulare" dixerit. Atque ut hoc ita alio loco obtrectatores Salusti refutat Gellius. Haec enim dicit (N. A. 4, 15): „Elegantia orationis Salusti uerborumque fin(gen)di et nouandi studium cum multa prorsus inuidia fuit, multique non mediocri ingenio uiri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare. In quibus plura inscite aut maligne uellicant. Nonnulla tamen uideri possunt non indigna reprehensione: quale illud in Catilinae historia repertum est, quod habeat eam speciem, quasi parum attente dictum. Verba Salusti haec sunt: Ac mihi, tametsi hautquaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, tamen inprimis arduum uidetur, res gestas scribere: primum, quod facta dictis exaequanda sunt; dein, quia plerique, quae delicta deprehenderis, malivolentia et inuidia dicta putant. Vbi de magna uirtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra, ueluti ficta pro falsis ducit (cf. Cat. 3, 2). Proposuit, inquiunt, dicturum causas, quam ob rem uideatur esse arduum, res gestas scribere; atque ibi cum primum causam (. . ., non causas), sed querellas dicit. Non enim causa uideri debet, cur historiae opus arduum sit, quod hi, qui legunt, aut inique interpretantur, quae scripta sunt, aut uera esse non credunt. Obnoxiam quippe et obiectam falsis existimationibus eam rem dicendam aiunt, quam arduam; quia quod est arduum, sui operis difficultate est arduum, non opinionis alienae erroribus. Haec illi maliuoli reprehensores dicunt. Sed arduum Salustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Graeci χαλεπόν appellant, quod est cum difficile, tum molestum quoque et incommodum et intractabile. Quorum uerborum significatio a sententia Salusti supra scripta non abhorret."

Atque multa Salustium ad morem antiquorum rerum scriptorum conformasse, pauca ex iis decerpsisse, unum alterumve verbum novasse, negari nullo pacto potest. Inde enim a Prisciano, Servio, Nonnio aliisque veteribus grammaticis usque ad Gerlach, Kritz, Dietsch, Paulum Schultze[1]), Gustavum

[1]) De Archaismis Salusti. Halis Sax. 1871.

Bruennert[1]), multi iique docti viri multa prisce et inusitate dicta ex Salusti libris partim dispersis annotationibus commemoraverunt, partim in unum collegerunt atque disposuerunt. Qui quamquam in nonnullis rebus errasse mihi videntur, tamen longum esse mihi videtur in singula inquirere: pauca exempli causa adferam. Quod enim **u** literam scripserit pro **i** in vocibus: l**u**bet, aest**u**mo, lacr**u**mae legit**u**mus, opt**u**mus, similibus, non tam priscorum imitatorem, quam propriae et usque ad id tempus usitatae scribendi rationis servatorem eum dixerim[2]). Eadem fere ex causa scripsisse eum puto: v**o**ltus, v**o**lgus, v**o**lnus pro v**u**ltus, v**u**lgus, v**u**lnus; v**o**rto, v**o**ster, adv**o**rsus, pro v**e**rto v**e**ster, adv**e**rsus[3]). Neque quidquam antiqui inest in casibus dativis quartae et quintae declinationis in **u** et **e** pro **ui** et **ei** formatis[4]). Idem fere dicendum de genetivo casu in **i** et **e** pro **us** et **ei** formato (Neue ll. ll.) et de forma 3. pl. ind. perfecti activi desinentis in — „ere" pro — „erunt," quam Salustium ex Catone mutuatum esse equidem non contenderim (cum Bruennert p. 9) neque reprehenderim, cum ne Cicero quidem reprehenderit (Orat. 47, 157 cf. Neue Formenl. II² 289 ff.)

Verum sunt alia, quae ex Catone, Sisenna, aliisque veteribus scriptoribus Romanis hausisse videtur Salustius. Atque C a t o n e m secutus est in memorandis Aboriginibus (Cat. 6, 1); haec enim dicit Servius (ad Aen. 1, 10): Cato in Originibus dicit, cuius auctoritatem Salustius sequitur in bello Catilinae: Primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines, hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos uno nomine Latinos nuncupatos (Conf. Gerl. Roth. 10, p. 269). Quod autem post Aeneae adventum urbem conditam esse significat[5]), S i s e n n a m (Brünnert p. 26), non Catonem secutus esse videtur. Cato enim, cum diligentissimus sit in conscribenda historia antiqua, annis tradit quadringentis triginta duobus posteriorem (Romam) bello Iliaco fuisse[6]). Etiam in orationibus Memmi (Iug. 31) et Mari (Iug. 85) imitatus est Catonem. Vt enim Cato in oratione contra Serv. Galbam: Multa, inquit, me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus . . . . ita Salustius Memmium ordientem facit: Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ... et Mari orationis principium: „Scio ego Quirites" ad Catonis similitudinem finxit, qui orationes de consulatu suo (Iord. p. 33, 1), pro Rhodensibus (Iord. p. 21, 8), ad litis censorias (p. 51, 4), de re militari (p. 80, 7),

---

[1]) De Salustio imitatore Catonis, Sirennae aliorumque veterum historicorum Romanorum. Diss. inaug. Ienae 1873.

[2]) Cf. Corssen Ausspr. I. p. 331—340.

[3]) Cf. Corss. II, 157 sqq.

[4]) Vide Corss. II, 740 Bücheler. Lat. Declin. p. 56 sq. Reisig p. 71. n. 90. Neue Form. I² n. 95 p. 356. 375 sqq. Gell. N. A. 4, 16, 5 sq. Non omnes concedunt in casu dativo senatui magis dicendum quam senatu . . C. etiam Caesar, gravis auctor linguae Latinae, in A n t i c a t o n e: unius, inquit, arrogantiae, superbiae dominatuque. Item in Dolabellam actionis I. lib. I.: Isti, quorum in aedibus fanisque posita et honori erant et ornatu. In libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine i littera dicenda censet.

[5]) Cat. 6, 2: ita b r e v i-civitas facta erat.

[6]) Gerl.-Roth. 20, p. 273. Dion. Halic. 1, 74.

habitas verbo: „scio“ incipit. Haec et talia contulit Brünnert in pag. 16—19. Idem Salustium Catonis vestigia secutum rebus gestis digressiones imprimis geographicas inserere locis collatis confirmat (p. 13—16). Voces autem nonnullas verborumque formas veterum Romanorum scriptis desumpsit, vel potius servavit. Quas summa diligentia collegerunt Gerlach, Paulus Schulze, Gustavus Brünnert, alii.

Sed mitto haec, ad ea venio, quae, id quod quintum exprobrant Salustio, ad graeca exemplaria conformaverit. Atque ut a minimis principium sumam, haec fere verba ex Graeco sermone transtulit: aulaea H. 2. 23, 2 Dietsch, myoparonibus (abl.) H. 3, 56, phaleras (acc. plur.) Iug. 85, 29, phaselo (abl.) H. 3, 56, piratas (acc. pl.) H. 3, 55 susp. piratica navigia H. 2, 56, piratica famosi H. inc. 8, psallere Cat. 25, 2, tetrarcha Cat. 20, 7. H. 4, 49. tetrarchiis H. 4, 61 (epist. Mithr.) 10, toreuma Cat. 20, 21; tyrannus H. 1, 42. tyrannis H. 1, 41 (or. Lep.) 1. 7. 22, tropaea H. 4, 29.

Vocabula, quae Graecorum modo cadunt, sunt nonnulla nomina propria, quae in historiarum libris inveniuntur, pauca in Catilinae et Iugurthae libris, ut Persen Iug. 81, 1. Perse Cat. 51, 5. Cyrene Iug. 19. 3, Cyrenes H. 2, 5. Catabathmon (acc.) Iug. 17, 4. et 19, 3. Theraeon et Philaenon (gen. plur.) Iug. 19, 3. Nomadas (acc. plur.) Iug. 18, 7. Aethiopas Iug. 19, 6. In compositione verborum, quam syntaxin dicunt grammatici, multa male retulerunt ad Graecorum usum loquendi, ut ea, quae *κατὰ σύνεσιν*, quam dicunt, sunt conformata: Cat. 18, 5: coniuravere-de qua (coniuratione), Cat. 56, 5 servitia-cuius, Iug. 102, 5 populo Romano visum-tutiusque rati[1]) H. 3. 61 (or. Macri) 15; virilia-quo[2]). His enim et talibus locutionibus et ceteri Romani scriptores et nostri saepe utuntur. Idem fere dicendum mihi videtur de adverbio cum verbo esse coniuncto[3]), de accusativo casu, quem graecum vocant[4]), de dativo a verbis passivis pendenti, quem graecum dicunt plerique[5]), Kritzius (ad Iug. 46, 3, cf. 70, 2. 72, 2) dativum commodi esse putat, de genetivis relationis et partitivis, quorum alteros a latino sermone non ita alienos esse putaverim[6]) alteros casus locativos esse existimaverim[7]).

Paulo insolentiores structurae sunt Iug. 84, 3: plebi militia volenti putabatur, et Iug. 100, 4: uti militibus labos volentibus esset, quas ad Graecorum

---

[1]) Thuc. 3, 36, 2, *γνώμας ἐποιοῦντο καὶ ἔδοξεν αὐτοῖς.*

[2]) Thuc. 1, 80, *χρήμασιν-τούτου.* 7. 48, *χρήμασιν-ῷ.*

[3]) Zumpt. 365, Madv. 209 b. 2 coll. Dietsch. ad Iug. 14, 11, et Kritz ad Cat. 58. 9, p. 306 sq. et ad Iug. 7, 6. 14, 11. hist. 1, 27.

[4]) Z. 458, Madv. 237, Kritz ad Iug. 1, 5. 5, 4. 19, 7 hist. IV. 51.

[5]) Z. 419 not. Madv. 250, Reisig 379 adn. 551 p. 680.

[6]) Vt Cat. 5. 4 alieni appetens, sui profusus; 7, 6 laudis avidi, peccuniae liberales; 52, 36 manufestis rerum capitalium; Iug. 79, 6 loca muda gignentium; Hist. 2. 91 frugum pabulique laetus ager. 3, 13, ingens virium atque animi. — Iug. 21. 2, diei extremum. 93, 2 ad summum montis. 113. 3 occulta pectoris. Cf. Reisig §§ 350 et 351 adn. 524 et 525.

[7]) Vt Iug. 82, 2 militiae cognitos, 48, 3 humi arido atque arenoso, Hist. 2, 92, animi atrox, 3, 17 animi firmatus (4, 71 nimius?) 4, 72 auxius animi, 3, 81 dubius consili, 4, 73 consili aeger.

exempla instituisse Salustium et plerique editores viderunt et primus monuit Priscianus (XVIII p. 1169), auctoritate usus Demosthenis [1]). Sed ne ad huius quidem dicendi generis naturam explicandam sufficere ad Graeca exemplaria provocasse bene monet Kritz [2]). Neque ad Graecum sermonem referenda sunt verba, quae communia dicunt [3]), neque indicativus modus in oratione obliqua (Cat. 14, 7 Iug. 16, 1), aut in enuntiatis: sunt, qui .... positus [4]), neque coniunctivus, quo actio temporis praeteriti repetita designetur [5]), neque tempus perfectum, quod gnomicum vocant [6]), neque infinitivus pendens a verbis: coniurare Cat. 52, 24; hortari Cat. 5, 9; dehortari Iug. 24, 4; amare Iug. 34, 1. (41, 3); maturare Cat. 18, 3; festinare, properare, permanere, similibus (Z. 610. 616. 720. Madv. 389, 2), neque gerundivi genetivus substantivo adiunctus [7]). Has enim structuras licet Graeci sermonis studio crebriores factas esse non sit negandum, in latini tamen sermonis natura atque ingenio niti atque fundari iam pridem grammatici viderunt.

Propius ad Graecorum dicendi consuetudinem accessit enuntiatis more Graecorum coniunctis [8]), locutionibus ad Graecarum similitudinem conformatis [9]), sententiis ex Graeco sermone expressis [10]), libris denique ita dispositis, ut

---

1) 18, 11: ἂν βουλομένοις ᾖ τούτοις ἀκούειν, coll. Thuc. 2, 3, 2: τῷ γὰρ πλήθει ..... οὐ βουλομένῳ ἦν ... ἀφίστασθαι. Krüg. gr. 48, 6, 4.

2) ad Iug. 84, 3. Cf. Reisig 429 adn. 587. Z. 420. Madv. 246, 3.

3) Iug. 79, 6. 93, 4 gignentium = der Gewächse, Cat. 6, 7. convortit (se enim omittunt codices (interpolati) Iordan).

4) Cat. 19, 4, cf. Z. 563, Madv. 365 adn. 1.

5) Iug. 58, 3, cf. Z. 570, Madv. 359. Fabr. ad Iug. 14, 10.

6) Cat. 10, 4; 11. 3. 51, 2. 11. 58, 15. Iug. 42, 4. 58, 9. 102, 7, cf. Z. 590, Madv. 335 b adn. 3.

7) Genetivus des Bereiches: Cf. Z. 662. 663, 764. Madv. 417 adn. 4 et 5. Cat. 6, 7. conservandae libertatis fuit. Cat. 46, 2, Iug. 88, 4; H. 1, 41, 8. 1, 48, 3. 6. 10. Cf. Thuc. 1, 4: Μίνως ... καθῄρει λῃστικὸν ... τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ, quem genetivum consilii dicit Boehme ad loc.

8) Vt Graecum γάρ, ita particula „nam" ad sententiam omissam spectat Iug. 19, 2. 28, 5. 82, 2. 88, 5. Cat. 58, 20; ut ἐνταῦθα δή ita „tum vero" participium excipit Cat. 61, 1, cf. Fabr. ad. Cat. 37, 4. Kr. ad. Cat 51, 40; ut νῦν δέ ita „nunc vero" Iug. 14, 17; ut ἅμα-καί ita „simul-et" Iug. 97, 4.

9) Iug. 84, 1 multus atque ferox iustare = Thuc. 4. 22, 2 πολὺς ἐνέκειτο. Iug. 53, 3 fugam facere = ποιεῖσθαι, cf. 58, 4. 56, 4 et 61, 1: pugnam, 55, 8 et 97, 1: proelium. Cat. 26, 5: bellum, Hist. 1, 41 (or. Lepid), 26: opes, inc. 33 Kr.: exercitum argento (cf. Sen. ep. 114, 17. sq. Cic. Verr. V, 30, 77. Phil. V, 16, 44, Flor. III, 19, 6. Iug. 20, 5: bellum sumere = πόλεμον αἱρεσθαι, cf. 72, 9. 83, 1; Iug. 73, 5: in maius celebrare, cf. Hist. 3, 60. 2, 70, = Thuc. 1, 10, 3: ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμῆσαι, cf. 1, 21, 1. 8, 74, 3: ἐπὶ τὸ μεῖζον πάντα δεινώσας.

10) Cat. 1. 1. pecora, quae natura prona ... finxit = Xenoph. Memor. 1, 4, 11 et Plato res publica IX p. 586 a. cf. Dolega p. 18. 19; Cat. 1, 6: nam et prius quam incipias consulto et ubi consulueris mature facto opus est = Dem. (Gerl.): δεῖ δὲ βουλεύεσθαι μὲν ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς, cf. Thuc. 1, 70, 4. 2, 40, 2; Cat. 6, 5: magis dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant = Thuc. 2, 40, 4 (or. Periclis): οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους. Huiusmodi sunt in Salusti libris triginta fere sententiae, quas longum est exscribere.

prooemia praemitteret, orationes et digressiones insereret. Quin etiam ipsa prooemia, orationes et epistulas, digressiones ad Graeca exemplaria conformavit. Quare nescio an iure Quintilianus (Inst. or. 9, 3, 17): Ex Graeco translata Salustii plurima, quale est: Vulgus amat fieri [1]).

Quaeritur igitur, num vitio tribuenda sit Salustio Graecorum imitatio? Quod equidem negaverim. Ita enim transtulit ex Graeco, ita Graecos scriptores imitatus est, ut Latine loqui non desineret, Latinitatem orationis non violaret. Neque ingenii tardi aut sterilis est, quod multa ex Graeco transtulit, non enim ad verbum Graeca descripsit et expressit, sed quae multa legendo et audiendo animo imbiberat, ea Latino sermoni ita reddidit, ut nisi accurate contuleris Graecos, vix unum alterumve locum Salustianum ex Graeco translatum esse cognoveris.

Sed ut ad finem adducatur commentatio, eos omnes, qui Salusti elocutionem reprehendunt, monuerim, ut haec relegant, quae Quintilianus de historia dicit (Inst. or. 10, 1, 31): Ipsa (historia) sic est legenda, ut sciamus plerasque eius virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis et quodam modo carmen solutum et scribitur ad narrandum, non ad probandum; ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat.

---

[1]) Hist. inc. 111. Dietsch. cf. Thuc. 2, 65, 2: *ὅπερ φιλεῖ ὅμιλος ποιεῖν.* Herodot. VIII, 68: *τοῖσι χρηστοῖσι τῶν ἀνθρώπων κακοὶ δοῦλοι φιλέουσι γίνεσθαι.* VIII, 128: *οἷα φιλέει γίνεσθαι ἐν πολέμῳ.* IX, 122: *φιλέειν ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων μαλακοὺς ἄνδρας γίνεσθαι.* Cf. VIII, 60: *(οἰκότα) ὡς τὸ ἐπίπαν ἐθέλει γίνεσθαι.*

M. Iäger.

Verlag des f. e. Collegium Borromäum. — Zaunrith'sche Buchdruckerei in Salzburg.